H. liter.
80 m

Hist. liter.
80 m

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id361897952/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Vitae theologorum 18.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id361897952/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

# PVBLII VIRGILII MARONIS
# DVLCIA ARVA
# QVINTILIVS VARVS
## LITERATISSIMVS BELLI DVX
## IN OCTAVIANI CÆSARIS AVGVSTI
## ROMANA CVRIA EXCELLENS,
## PRO JVRE MYTHORVM
## STILI SYMBOLICI ET HIEROGLYPHICI

RES MAGNATVM IMAGINIBVS EFFIGIANDI
MANSVETIS, SYLVESTRIBVS, HORTENSIBVS, GREGARIIS,
SVBLIMIA FIGVRIS HVMILIBVS
TANTO ARGVTIORIBVS QVANTO MODESTIORIBVS:

## QVOD VETVSTISSIMORVM POETARVM

INGENIVM ADMIRABILE
INSATIABILIS DVLCEDINIS

# IN TERTIO TYPOGRAPHIÆ JVBILÆO:

CVJVS NOVÆ ELEGANTISSIMÆ AC COMPENDIOSISSIMÆ
SCRIBENDI ARTIS EXORDIA

ARGENTORATI A. MCCCCXL. NATA

ÆTERNAM MERENTVR MEMORIAM:

## IN ACADEMICO SVO JVBILÆO

SVAVITER SVBRIDENTE


## HERMANNO von der Hardt,

ACAD. JVL. SEN. ET PRÆPOS. MARIÆB.



HELMSTADII LITERIS JOH. DRIMBORN
MDCCXL.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/3 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

## REVERENDO AMICO.

Quod tute *fontes* conſulere pergas gaudeo; ſunt enim *unica ſanæ doctrinæ ſemita. Epiſtolam ad Romanos vel Hebræos* mitterem, niſi Silenus, Lunæburgenſe numen, injungeret moram. *Hæc ætas ſtili veteris & novi teſtamenti non eſt capax.* Neque vel minima N. T. vox poteſt curate intelligi, *ſine judaicarum rerum ſolida cognitione.* Neque vel *prima vox epiſtolæ ad romanos* poteſt comprehendi, ſine diffuſa notitia doctrinæ judaicæ בַּת קוֹל, unde *oracula inter judæos cœleſtia.* Vox *apoſtoli* reſpicit in Paulo manifeſte *in apparitionem cœleſtem in via Pauli ad Damaſcenos.* Omnia illius ſtupendæ apparitionis & vocationis momenta comprehenſa in *jure apoſtolico Pauli.* Neque illa *vocatio cœleſtis Pauli, cum lumine & alloquio divino*, poteſt cognoſci, niſi & *apparitio ſimilis in baptiſmo chriſti* recte intelligatur, una cum *apparitione Moſis & Eliæ* & *colloquio Chriſti cum illis* in monte Tabor. Sed & neceſſario prius penetranda quoad omnes circumſtantias *apparitio Paulina , qui in paradiſum , in tertium cœlum raptus, ubi verba audivit ineffabilia, quæ cuiquam hominum dicere nefas.* Quæ in paradiſo illo, in tertio cœlo audita myſteria, ſunt ipſummet argumentum totius epiſtolæ ad romanos. Neque tertii illius cœli, & *paradiſi* hujus *chriſtiani*, cognitio conſtat, ſine *intima totius V. T. doctrina, quæ a paradiſo incipit : Cum paradiſus hic chriſtianus priori illi judaico ſit directe oppoſitus.* Sicuti & hic *novus paradiſus, veteri contrarius, novum orbem, novam creationem, novum cœlum & novam terram, novum hominem, novum ſpiritum attulit, omnia nova, prioribus contraria.* Pares appellationes diſparium rerum, diſpari ſenſu. Quæ omnia intime prius cognoſci debent, antequam *vel ſola appellatio Apoſtoli in epiſtolæ hujus titulo*, poſſit digne intelligi. Non ſunt hæ res vulgares, de quibus in commentariis ne gry quidem. Sunt *res reconditæ judaiſmi & chriſtianiſmi*, pro ſtili paritate, diſparitate rerum immenſa. Neque poterat Paulus diſſimulare hunc ſuæ doctrinæ fundum, qui *epiſtolam* ſcriberet *polemicam contra judæos & imprimis doctores phariſæos.* Quomodo *per totam epiſtolam continuæ textæ controverſiæ contra judæos & phariſæos.* Vel *titulus epiſtolæ* nervum comprehendit controverſiarum omnium cum judæis per totam epiſtolam. Vocatio Pauli ad apoſtolum in chriſtianiſmo pendet a ſuperioribus cœleſtibus oraculis. Quis ille *homo, Gal. 1, 1.* per quem ſe vocatum negat? Qui porro *homines*, per quos ſe iterum negat vocatum ? Nemo hæc commentatorum capere poteſt, nec inſcriptionem intelligere, niſi *controverſias noverit tunc agitatas inter Paulum & Pſeudoapoſtolos, imprimis Apollonem*, qui ſe a Petro, ab apoſtolis hieroſolymitanis miſſum diceret, & judaicas hac ſpecie & hoc prætextu res eccleſiæ chriſtianæ obtruderet. *Contra ipſummet Petrum, & reliquos apoſtolos*, hæc in inſcriptione epiſtolæ *apologia Pauli*, in chriſtianiſmo defendendo. Epiſtola ad Galatas & ad Coloſſenſes commentarius in hanc Pauli *primam epiſtolæ frontem. Patres*, græci & latini, *non intellexerunt epiſtolas Pauli, niſi quoad verba & grammaticam*, quod non eſt intelligere, *quia res judaicas*, moſaicas & phariſaicas, *non cognoverunt*, quibus chriſtianiſmus e diametro oppoſitus, verbis paribus ſervatis, ſenſu alio & ſublimiori. *Scholaſtici* multo minus Paulo familiares, quia *remotiores a rerum judaicarum veterum cognitione*, qui & patrum filii & ſervi. *Reformatio Saxonica* reddidit corpora hebraica & græca, V. & N. T. ſed non invenerunt animam, quam reliquerunt poſteris. *Noſtri commentarii* univerſi hactenus balbutiunt, qui *res judaicas tunc controverſas* non capiunt, nec capere poſſunt. Vide ſis capias Tute & vive. Scr. in acad. Jul. a. 1740. d. 9. febr.

*Res magnæ ſublime amant dicendi genus.* Nullus veterum *autorum græcorum* inter poëtas in hunc diem intelligitur, *propter celſiſſimos mythos.* Nec V. T. penetralia *in fontibus* cognita commentatoribus, *ex ignoratis eminentiſſimis ſymbolis & mythis.* Nec N. T. receſſus intimi interpretibus perſpecti *ex mythorum celſitudine.* Mythos *græcorum* neſcis, nullum poëtam intelligis. Mythos *judæorum* ignoras, nec Moſen nec prophetas capis. Mythis *chriſti & apoſtolorum* ignoratis, ineffabilia, a Paulo in tertio cœlo, in paradiſo, audita verba non audis. Orbis trames ſtratus juſſu rationis, *honeſtatis cura.* A ſubmiſſis in ſublimiora. Auſpicatur bene inſtinctus naturæ. Audit *judicium* teſtimonium *ſcientiæ* in rebus humanis. Caligo *ignorantiæ* neſcit gerere egregiam rem. *Eſt noſſe*, ordiri integre. *Tentaſſe* aliquid, eſt rationem conſuluiſſe. *Antiquorum veſtigia oportet noſſe, non ignorare.* Oſtentum maximum *hominis animus.* Ratio bonorum ambitus. *Boni apex ſtudium virtutis.* Damnum nullum virtute favente. In compitis itur tuto, in luce expeditur alacriter res ſeria. *Integritas in negotio gerit expedienda recte.* Eſt neceſſarius *ordo* in tramite. Aſperitas exulat ratione cavente. Antequam munimentum inchoëtur, ratio perpendit *nexum inſtituti.* Temperat *navitas* expeditionem rectam, expendit prius *muneris juſſa. Serio velle bonum, initium ſpei. Negligentia* eſt ſomnus: ſomnia in uſu ſperato. Tacet *experientia.* In blandis imaginibus ſomnii inquietiſſima univerſa *quies.* Surgere eſt grave. Exhalantibus ronchis, ſpes exſpirat, neſcit memoria omnia. In nube animus, in theatro ſenſus interni, ratio hæret, cunctatur, in rhombo eſt venti. Sopor eſt noctis, memoria oblivionis tenebrarum eſt ſtudium: videre tædioſum, ſpectare infeſtum, ratio hæret caligine. Ortus, monitu auroræ, docet agere. *Otium dormit.* Non videt caligo exorientem ſolem, nebulæ impediverunt. *Somnus in luce eſt auſpicium rationis ſopitæ.* Incumbit *ſolertiæ* evigilare. Grave eſt rationi obdormiſcere, *malum animi dormire.* Abſunt oculi, minus inſpicitur res *primo negotii initio.* Serus venit terminus, auſpiciis *torpore* ſuſceptis, *integer* neſcitur animus. In tonitru ſonus ignoratur: ratio hæret conſopita. *Incolumitas* neſcit gradus. *Ex rationis otio, ſopor in detrimentum animi recti.* Aurora patet in lucem. *Velle agere, primum negotii initium.* Salus univerſa termino actionis. *Totum ſtudium in cognoſcendo initio tranquillo.* In limite exituque apparet rei ſinceritas, integritas, incolumitas, navitas. *Genius erectus rationi ortus ſolis.* In die advertit ratio *agendi promptitudinem*, ſedulitatem, inconcuſſam ſolertiam. *Omnia magna noſcuntur judicio.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id361897952/4
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

# DVLCIA VIRGILII ARVA QVINTILIVS VARVS.

Patula Virgilii *fagus*, tam ampla quam auguſta *C. Julii Octaviani* Cæſaris *in Capitolio* curia. Quæ ſylvoſa fagus *Dodonæa fago* eloquentior, oraculis illuſtrior, quæ multas ferme æquales complectatur *celſas fagos*, ipſomet Virgilio in Alexi canente, *Octavianos Cæſareos Curiales*. Mirum videatur, a litera Virgilii, bucolici, a ſylva tranſilire cum Virgilio in Cæſaris curiam, ſenſu ſylveſtri, ut *in fago ſit thronus Cæſaris*. Non indignandum his Mæviis & Baviis, Virgilii æmulis, qui a gregibus & armentis, in quibus hærent, in curiam neſciunt viam. Tanti eſt *jactare literam, literam, fagum, fagum*, nec ſcire *umbram fagi. Ars dicendi, rhetoricæ elogio, literam* callet, *pro genio & ſcopo*. Literæ longæ, ſine anima, pendent in cruce. Hi *commentatores*, poetarum interpretes, Virgilii internuncii, *literæ præfecti*, qui literas vident, per amplos ſaltus, fagos & quercus. His *ſingulæ literæ, arbuſta, ſenſu deſtituta*. Simile ſimili gaudet: Arbores, ſtirpes, trunci, ſimilis indolis gignunt proles. Ex literis nudis literæ nudæ. Nec vivunt hæ *literæ*, niſi vegetabilium ſenſu, quod eſt *ſenſu nullo*. Literati hi, ſenſus per naturam exſortes, judicii expertes, artis dicendi ignari, litera ſunt citra juncturam, vinculi inter corpus & animam non compotes. *Senſus literalis*, illorum anima & pectus, inſtar palladii, eſt ſenſus imperitiæ. *Senſus literalis grammaticus, pro lexicorum motu & ſono, eſt balbuties infantum, non vox virorum*. Grandis abuſus dictionis, ex æquivocatione. *Litera, grammaticæ dono*, pro effati ſignificatione, ſingulis vocibus proprie ſumptis, *ad lexicorum effata* & originationes, *puerorum eſt balbuties*, prima fandi elementa ex nutricum contabulationibus. Illa per autorum compita, in ſermone litera, eſt opella puerilis, qua exercetur ætas minorennis, ad ſermocinandum in turba domeſtica, inter æque rudes. Quæ per autores *in enunciando litera* parum differt a *pſittacorum* æmulatione, *a corvorum* crocitatione, ab *aquilarum* etiam clangore, ſed & a *pullorum* pipitu. Et *alaudæ canunt*, literarum conſciæ, *luſciniæ literatiores, canariæ aves literatiſſimæ*. Omnis illa literatura, ſonora, blandula, vagula, & tamen ſine literæ animula. *In toto cantillantis*, clangore aquilas ſuperantis, *luſciniæ* inimitabili *modulo, nullus* profecto *ſenſus*, literæ volucrum, prætereaque nihil. *Aves Canariæ, edocentur* a muſicis, a cantoribus, *laudes accinere dei*, pro matutinis & diurnis præconiis, *literæ interim canoræ, clamoſæ, ſine ſenſu*. Muſicus, cantor, qui luſciniam, canariamve aviculam docet, intelligit ſuæ orationis, precationis, ſenſum & ſcopum, ſed aviculis illis literatis, literatiſſimis, ſenſum conferre, docere, accinere non poteſt. *Luſcinia, & canaria avis, ignorat quid canat. Modulus auditu admirabilis, cantoris æmulatione, ſenſu nullo, nil niſi inanis, exſanguis, inanima litera. Hi commentarii in pervetuſtos poetas*, qui & V. & N. T. fontes, literam nudam temere crepant, ſenſus literalis clangore. Habeant aviculæ, cantatrices, ſenſum, quia illas accinunt cantilenas, quas auditu didicerunt; quia ſunt animalcula artis canendi capacia, *ſuasmet tamen illas, quas didicerunt, non intelligunt literas, nec ſenſu præcinentis, nec alio*. Quin ſi cantor doceat modulos Veneris ludicros, voluptuoſas, libidinoſas ſtrophas, nec ſenſum cantoris præceptoris capit nec exprimit luſcinia. Guttur idem, tintinnabulum idem, literæ & vocales eædem, ſine ſenſu. Literæ volucribus illis faſcinatricibus, *in medio tinnitu mortuæ, ſine ſenſu & vita*, nec cantoris veneres noverunt. *Inſtrumentis muſicis*, denis, centenis, per orientem & occidentem, *facultas major diſcendi literas, vocales & conſonantes*, enunciandi diſtinctiſſime, admirabili nativo diſcrimine, ſono & tono in ſtuporem variato. *Literatiſſima inſtrumenta, vocaliſſima*, quæ artem oratorum longe ſuperent toni motu & ſoni variatione, ad audientium ſtuporem: & nihilominus *ſenſu carent omni omnia*. Gaudium excitare, ſanguinem movere, animum flectere potis ſunt, ut rideat audiens & lætetur, ad dolorem pariter & luctum ciendum paratiſſima. Ad ſaltum & planctum aptiſſima. *Literæ vocaliſſimæ*, quæ ſenſus audientium ad lætitiam & dolorem compellant, *ſine omni* tamen ſuo ſenſu, *literæ clamoſiſſimæ ſenſus expertes*: nec ſentiunt, dum canunt, dum pulſantur, feriuntur, trahuntur; Si plectrum ceſſet, ſi fides retrahantur, quæ & ubi *literæ? Mortuæ*. Et tamen exactiſſime callent literas, quas cum voluptate enuncient, quoties levi digito moneas & moveas. Senſu literali excellunt dum ſenſu prorſus carent, anima animoque deſtitutæ citharæ. *Omnia* Muſarum, Apollinis, Mercurii, *organa muſica*, quæ cœlo & terræ imperarent, *literarum pyramides & coloſſi, ſine ſenſu*. Senſus movent, quibus carent; literæ, quibus nulla vita, dant vitam; quibus nullus ſanguis movent ſanguinem. Hi *commentatores literales*, his nativus ſenſus literalis. *Sunt literæ, nec ſonant*, ſive ut vocales, ſive conſonantes, *niſi ferias, pulſes, tundas*; quod eſt cogere ad literas enunciandas: *Egenæ literæ, mutæ, niſi plagæ infligantur aut radantur*. Literalis commen-

mentatorum commentarius, qui, niſi lexicon plectro impellat, ſonumque doceat, ſenſu careat omni. Vnde, ſi aliqua fidium vel chordarum rumpatur aut flacceſcat vel remittat, abſona tota muſica, cantus nullus, qui nec ſenſus audientium movere poſſit, quin horrorem diſſonantia incutiat. Si vel una vocula in jactata literali commentatione ſubtrahatur, demonſtrato ſenſu alio, tota concidit *literalis verſio, ſenſu prorſus alio. Cortex in arbore ſpectatur, palpatur, ſed interior pulpa non videtur.* Tornator, ſcriniarius, architectus, corticem dolabra, aſcia, tollit, ut ad lignum accedat, unde opus fabricet. Cortex igni, aſſeres, tabulæ, ædificio & operi. In litera grammaticali, lexicove, in conſtructione literarum vocumve ſyntactica, verſione phraſium & vel longæ orationis, nil niſi *litera*, *literalis ſenſus*, *cortex. Rhetorica*, cum omni ſuo apparatu, *corticem levat*, ad interiora ligni viſcera penetrat, medullæ arboris conſcia. *Tropi* totam literam, literalem ſenſum grammaticum, literarumve ſententiam, denis centenis modis *mutant, tum in ſingulis vocibus, tum in tota oratione. Grammatica affirmat, rhetorica negat.* Quarundam arborum *cortices* amantur a *tinctoribus, pro colore formando* ac lineæ laneæque ſupellectili inducendo: *Litera* pariter, *literalisve*, jactatus grammaticus vocum aut enunciationis *ſenſus*, citra rhetoricam, *non niſi color, tinctura*, ut imperitis placeat & fallat. In litera ſenſuve literali grammatico, *color & faſcinum*, ut imperitus lector credat ſe videre pannum, cum non niſi colorem ejus habeat in oculis. Tales *univerſæ verſiones textus vel autoris veteris aut peregrini. Verſio qualiscunque*, cujuscunque autoris, vel curatiſſima viſa, quoad literam, vocesve, *cortex & color*. Verſio aut *interpretatio autoris* nitidiſſimi oris, *merus color*, ad faſcinandum aptus: *rhetorica*, ſcopo autoris & genio detecto, in tropis oſtenſis & figuris manifeſtatis, *res, res, monſtrat, coloribus ſemotis. Litera*, literalisve grammaticus ſenſus, *linter* eſt, ſcapha in undis: quæ nuda jactatur undis & ventis: *remos addit rhetorica*, movetque pro lubitu, quorſum vult, pro ſcopo. *Verſiones & commentationes*, venditatæ *literales*, literæ ſono imbutæ, citra rhetoricæ præſidia, quæ totam orationem mutant, *pari paſſu ambulant, inanes literæ*, ſine vera mente nudus ſonus. *Veſtis & corpus differunt vehementer.* Quin & cognito corpore ſub veſte, nondum cognitus animus in corpore. Externa non niſi pallia & tegumenta. Animus viri non cognoſcitur ex quantitate vel & ſpecie coloribusve & motibus corporis, pectus nemo inſpicere potis eſt, quod aliunde conſtare debet. *Vel curatiſſima verſio aut commentatio literalis, citra tectum autoris ſcopum curate cognitum, eſt corpus ſine anima*, ſectioni anatomici vel peritiſſimi relictum. Dum ſecat, cadaver eſt, corpus exanime, exſangue, ſine ſenſu & motu, ſanguine abſente, nec venarum & arteriarum officio qualitercunque adumbrando, niſi *liquefacta cera infuſa ſanguinem mentiatur anatomicus.* Hi *commentatores* appellati *literales*, *egregie mentiri docti*; quibus venæ in corpore ſunt ceræ fuco diſtentæ. *Cera non ſanguis in exegeſi literali, citra rhetoricæ vitam & ſanguinem*, in troporum motu vivo, vegeto & infatigabili. Quin *nulla verſio* cujuscunque autoris, maxime veteris & remoti ævi, *concinnari poteſt*, ut vel politiſſimis verbis verum ac genuinum autoris ſenſum exprimat, *per troporum nervos*, quos alia dialecto aliisve verbis deſignare non eſt poſſibile. *Paronomaſiæ*, in quibus vetuſtiſſimorum quorumcunque autorum, inter omnes gentes, in oriente & occidente, in dicendo & ſcribendo *regnum, verſione vel ſcitiſſima effigiari non poſſunt. Alluſiones* illorum, non vocum luſus, ſed acutiſſimi ſcriptorum aculei, ſculptorum & pictorum lineæ ad vivum. *Salſiſſima obliqua reprehenſio alluſionis acrimonia.* Quæ vel *vocis vel & ſoni flexura*, penetrantiſſima dictionis vis, genii ingeniique dicentis robur, *nulla verſione pingi poteſt.* Fides in verſionem eſt fides in inſtrumenti muſici fidem aut chordam, ſine muſici digitis & plectris. *Nulla verſio Homerum dedit aut dabit vivum*, pro illius ſcopo & genio. Vel *primus Homeri* in tam vaſtis duobus voluminibus, Iliadis & Odyſſeæ, verſus,

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλλῆος

a veteribus grammaticis & criticis vel *tribus notatus vitiis*, quæ in tanto poëtarum patre videatur præceps lingua vel memoria. Quod grammatici ſceleris nomine ore majorum ſubnotavit *Lilius Gyraldus*, *de poëtarum hiſtoria Dial. 2. f. 96. Illud quoque vos latere nolo, Homerum forte aliquando, cum verſum quendam pronunciaſſet perperam, non ob id territum fuiſſe, quin reliqua intrepide proſequeretur: tanta illi de ſe fuit fiducia. Verſum cum fuiſſe ait Didymus:* Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλλῆος. *In quo tres hos errores annotabat. Primum heptemimerim brevem, contra naturam productam; ſecundum, quod in quinto pede non ſervata eſt ratio ſynaloephæ: tertium, in Achille, ſyllabam ſecundam una litera fraudatam, ut dactylo locus eſſet; quam rem & Juſtinus philoſophus obſervavit, cum Homerum ait carmen illud ab Orpheo ſumſiſſe, maluiſſeque a metri ratione excidere quam cum non imitari de Cerere ſcribentem.* Sed hi boni grammatici mali rhetores, qui *vitia ſermonis* efficerent *ex virtutibus oratoriæ*, inprimis *poëſios*. Non dedecora illa ſed decoramenta, artis oratoriæ ornatus admirabilis. *Grammatica, litera, literalis ſenſus*, ſyllabas foris metitur, menſuram plebis adhibet, *non ſollicita de affectu animive motu in dicendo, quod eſt rhetoricæ*, quæ verbis, utpote corpori, dat motum, animam &

vitam

vitam. *Grammatica* literave eſt mera *argilla*, ex qua tornet figulus artificioſe vas fictile, pro uſu culinæ; *rhetor dat verbis motum & ſenſum*, ſcopo congruum, affectui aptum. Argilla jam in urceo, alia forma, cum ornatu, accedente igne, qui figuræ adderet robur, pro uſu œconomico. Atqui *rhetoricæ, oratoriæ, poëſeos*, ſive artificium ſive officium, ſic dicere & docere, *ut affectibus dicentis & audientis congruat oratio*, pro animi motu, in illo moto, in hoc movendo. Quod princeps momentum in omni oratione & carmine. Poëtæ in theatris ut gaudii ita iræ effigies, dictis, factis, motione, tono & ſono effigiare docti, ſic totam orationem componunt, ſelectiſſimis vocibus & flexibus, ſoni ambagibus, *ut vel gaudii vel iræ viva compareat facies, ſono nativo.* Atqui *iræ vel jus vel vis*, ut in corporis motum concitatum, ita & *in vocis flexionem, vel elevatam & diductam vel celerem & præcipitem.* *Ira* brevis furor & in dicendo; properat & feſtinat, rumpit, *contrahit & diducit voces*, ſono terribiliter & mirabiliter torto & tornato. *Ex brevibus ſyllabis ira facit longas, ex longis breves.* *Has animi & oris affectiones æmulatur poeta argutus in dicendo & agendo.* Hoc theatri imperium in rebus magnis cantandis in ſermonis figuram. Hæc *rhetoricæ facultas*, qua utitur poëta peritus & ſolers, qualis Homerus. *Hoc animi & oris jus in pedes irati in impetu fervoris, in præcipiti æſtu, luculenter comparet in primo illo Homeri verſu*, quo vehemens & præceps *Achillis*, Iolcenſis, *ira depicta & denunciata.* *Artificium eſt rhetoricum poëtæ, officium digniſſimum, non vitium, pedes irati, nunc tardiuſculos, nunc præcipites ſiſtere, nunc addere nunc demere iræ literam.* *Nec tria* adeo *Homeri* in primo magni & ſtupendi operis exordio dictionis *vitia ſed poëſeos & oratoriæ beneficia*, ſublimis ingenii Homeri documenta irrefragabilia. Et hæc quidem *elegantiſſima prima ornamenta dictionis, in iræ denunciandæ effigie, nulla exprimat verſio, quacunque demum dialecto.* Par ratio univerſorum *epithetorum*, quæ ut rebus congruentiſſima, ita & *paronomaſiis & alluſionibus ſonora*; quæ admiranda effigiandi dignitas, ſono oris comite, verſionis æmulationem attentiſſimam ſuperat. *Iram Achillis* vocat ἐλομένην, pro *paronomaſiæ* concinnitate, alludendo ad ipſummet *Achillis Iolcenſis* nomen. *Pernicioſæ* nota in verſione neſcit ornatum elegantiſſimæ figuræ *paronomaſiæ* in *Achille* & ὄλλυμι, *perdo.* Inſimul alluſio ſubindicata in *Achille* & χολῆ, bile, Galle, cujus ira eſſet acerba ac immoderata, bilioſa. Pro χολῆ adhibuit prudenter nomen ſynonymum μῆνιν, pro omnium poetarum artificio alio, *pro paronomaſiæ ornatu tegendo, ne appareret quæſita elegantia, ſubornandi ſynonymum.* Potuiſſet pro metri integritate, dicere, χȣλὴ, pro χολῆ, ut mox ἐλομένην dicit pro ὀλομένην., ſed *in ſynonymis aptis paronomaſiæ latebræ.* χολὴ Πηληιάδȣ Ἀχιλλέος ὀλομένη; *bilis Peleidæ Achillis lethalis*, quadruplex paronomaſia. Quod omnium antiquiſſimorum *poetarum delicium, quod in verſione raro aut difficulter exprimi poteſt*, lectoris relinquendum judicio ac interpretis ſolertiæ. Nos teneriuſcula æmulatione diceremus, die tödliche Galle *Achillis* aus *Iolco* von *Peleo.* Quibus conſona & in ſecundo verſu *quinta paronomaſia*, Achilles ἄλγεα ἔθηκε; *Achilles* hat den Griechen groſſe Quaal gebracht. Quas rhetoricæ veneres ignorat infans grammatica, immaturæ ætatis, quas nec verſio prodat. Qui *argutiſſimus effigiandi ſtilus* uti omnibus antiquiſſimis ſcriptoribus communis, ita *mythorum quorumcunque veteris ævi anima & pectus, ſine quo mythorum delicio curate cognito nullus ſapit poëta, nullum ænigma delicatum.* *Metonymiæ decus* alterum, multo celſius, in primo illo Homeri verſu in utroque, *Peleo* patre & *Achille* filio, hic locus non capit, quando in nominibus illis propriis non duarum perſonarum res agitur, ſed duarum gentium aut populorum cognatorum, ex duabus Theſſaliæ urbibus, Iolco & Pelethronio. Quæ porro *metonymia* ſe diffundit ad Ἀχαιȣς, *Achivos*, in agro Trojano in obſidione urbis Trojæ occupatos. *Quod totum negotium bellicum eſt mere mythicum*, quandoquidem nec Troja a græcis unquam in Aſiæ fundo infeſtata nec obſeſſa, multo minus expugnata. *Achivi nulli in Troade, bellum nullum græcorum in Aſia.* Totum illud belli longumque theatrum *in ſinu Græciæ, in Bœotia, Andreide ſ. Phlegia a Græcis obſeſſa*, cui nomen *Orchomeni.* Theatrum externum pro effigie in Aſia in Troade, internum, pro ſcopo, in Græcia, in Bœotia. Quæ *metonymiæ apud Rhetores* eſt *poteſtas.* Tanti vel primus in Homero verſus, qui grammaticorum & literam jactantium captum longe ſuperat, cum *ad rhetorum caſtra* pertineat, *nulla fere voce ſine tropo.* Litera in his eſt lira in agro ſine ſemine & ſegete, nudum aratro factum agri vulnus. In litera & lira frequentia interpretum deliria. Eadem quæ Homeri Virgilii ſcena. In prima Bucolicorum ſcena, *Tityri* nomine, ſuorum ſtudiorum celebrat incolumitatem ex *Cæſaris Octaviani gratia*, qua potiatur. Invidiam inſimul ridet ſuorum æmulorum, qui illa Cæſaris gratia careant. Quo ſcopo, hoc *carmen* eſt *Cæſaris Octaviani præconium, ut ſuam grati animi erga Octavianum Cæſarem teſtetur devotionem.* Eſt autem *totus ſtilus bucolicus mythicus, continuis ſymbolis & emblematibus conſtans.* Et quidem illa hujus *ſymbolici ſtili modeſtia, ut tropi a manſueta re familiari ſumantur*, figuris petitis a gregibus & armentis, ab agris & campis, a ſylvis & arboribus.

Cum *in omnibus mythis duæ* ſint *ſcenæ*, una *externa* pro umbra, altera *interna* pro corpore, externa illa *foris* comparet, interna *intus* latet,

illa foris in oculos incidit, hæc non niſi mente comprehenditur. Junctim utraque *hiſtoriam habet pro fundo*, *quæ exterius coloribus pingitur.* Comparationes & icones artis dicendi præſidia. Vnde liquet, *mythos non eſſe pabulum vulgi, ſed eſcam & bellaria eruditorum.* Illi ſenſus ſequuntur, hi judicio utuntur. Quare bucolica Virgilii, ut omnia mythica, non ſunt plebejorum lectorum ac interpretum ſtudia, ſed ſagaciorum rhetorum arcana. Foris vulgati lectores ac interpretes vident & verſant larvas, ulterius ad interiora non penetrant, rerum reconditarum ignari. In noſtro hoc primo, pro ordine libellorum Virgilii recepto, bucolico, *in honorem ac laudem Octaviani Cæſaris, in prima fronte Octaviani Cæſaris majeſtas effigiata imagine magnæ ampliſſimæque fagi.* Gemina erat Octaviani erga Virgilium gratia, qui avitos Virgilii agros Mantuanos, militibus nuper Romanis donatos, recuperaret, qui & *libertate gauderet, publicis carminibus bucolicis Cæſaris & magnatum res glorioſas canendi*, quod paucis erat datum. Externum illud Cæſaris beneficium in agris avitis redditis, umbra in carmine *pro literaria dicendi & ſcribendi libertate.* Gaudet itaque Virgilius, invidiamque Melibœi, Mævii, ridet, ſub effigie externa. agros ſibi avitos eſſe redditos, ut tranquille boves poſſit paſcere, & ſub umbra arborum in ſylva ſedere ac tibia canere; *Impenſius & ex animo lætatur, quod Cæſaris Octaviani gratia potiatur in ſtudiis ſuis tractandis & carminibus ſcribendis.* Foris jacet ſub umbra umbroſæ fagi, armenta ſua paſtum, & modulatum; intus ſub Octaviani gratioſiſſimo tegmine lætus bucolica in Cæſarem & Curiales pangit.

Primum hoc mythi argumentum, *Octaviani gratiam*, excipit ſtatim ſimile alterum *argumentum mythicum, pro celebranda gratia magnorum Cæſareorum miniſtrorum, inprimis Quintilii Vari*, inclyti belli ducis, *erga Virgilii literas:* Quod ſciret, nec parari nec ſervari Principis erga literas gratiam, abſque miniſtri Curialis æquali gratia. Pergit igitur *in laudem Quintilii Vari*, ſed bucolico pariter & mythico ſtilo, humili ac modeſto, ab agris cultis ſumpto. Qui ergo ſcenico *Melibœi* aut *Mævii* ore gratiam Cæſaris erga Virgilii literas celebraverat, *Melibœi porro ægri ore dolet ſibi ſuisque ſtudiis gratiam Curiæ eſſe negatam, qui nec Quintilii Vari clementia*, qua Virgilio frui contingeret, *fruatur. De Mævio* itaque & *Bavio*, ſimilibusque ſodalibus literatis, *a Cæſaris & Vari gratia excluſis* pronunciatur:

*Nos patriæ fines & dulcia linquimus arva,*
*Nos patriam fugimus.*

Pro familiari geminæ ſcenæ uſu, *foris* pingitur triſtis ſtatus aliorum Mantuanorum vulgarium poetarum, quibus Octavianus Cæſar ſubtraxerat agros avitos, dederatque militibus Romanis, quos nullis precibus ſe recuperaturos ſperarent: Sub qua calamitate & *altera* effigiata *adverſitas, qui in gratiam Cæſaris penetrare nequirent, Quintilii Vari præſidio deſtituti. Nos*, inquiunt, *patriæ fines linquimus. Foris* res civiles, bonorum avitorum amiſſorum: Mæviorum & Baviorum, Mantuanorum virorum doctorum, bona hæreditaria, prædia ruralia, in manibus militum, peregrinorum hoſpitum. Iſtorum *patria foris*, ditio Mantuana, in qua bona illorum avita, nunc in militum manu: *Intus Roma, & Cæſarea illius Curia*, quæ literarum & literatorum patria ac ſedes. Hanc ſuam patriam Virgilii literæ tenebant. Quæ vox *patria*, in Cæſareæ Curiæ Romanæ gloriam tendit, in qua Virgilius in patriæ ſinu. Ibi patria, ubi bene, Virgilio in Curia optime. Dolent poëtaſtri, ore Virgilii, ſe ſubtractis nec reſtituendis agris cogi *linquere patriæ ſuæ Mantuanæ fines*, & in aliis terris novos quærere agros: Dolent ſimul, pro tecto Virgilii ſcopo, ſe a Romanæ Cæſareæ Curiæ erga ipſorum poëſin gratia eſſe excluſos. *Fines patriæ, fines gratiæ Cæſareæ in curia romana.* In qua mythica fatorum deſcriptione, in *finibus patriæ linquendis*, obliquus *paronomaſiæ* nutus, *τελευταὶ οἰκουμένης, patriæ fines, Mæcenas. Patriæ fines linquere, Mæcenatem linquere*, Mæcenatis gratia deſtitui. Placuitque Virgilio verbum *linquendi*, pro arguta alluſione ad nomen Mæcenatis. *Λείπειν οἰκουμένην, linquere patriæ fines, Mæcenatem*, cujus gratia non potiundum.

Eadem ſuſpiria Mæviorum repetit Virgilius clariori imagine & apertiori ſono: *nos dulcia linquimus arva. Foris*, proxime, pro ſcena externa, avita prædia, arva paterna, omnium cariſſima bona, eſſe deſerenda, ſine recuperandi ſpe: *Intus* pro ſcopo, Curiæ Cæſareæ, ſpeciatim *Quintilii Vari*, gratia, qua Virgilius patiatur, eſſe carendum. *Dulcia arva, Quintilii Vari* gratia, patriis bonis dulcior. In *dulciſſimo arvorum epitheto* dulcedinem gratiæ Quintilii Vari lætus effigiat Virgilius. *Dulcia* arva phyſica ob dulcem reditum frugum. Quod *dulcidulum epitheton* Virgilius ſtudio elegit, ut ſuam amplius declararet erga Varum devotionem, qui dulciſſima illius gratia frueretur. Potuiſſet dicere *mitia* arva, ſed pro paronomaſiæ deliciis *dulcia* arva dedit *Quintilio: γλυκύτεραι ἄρουραι Quintilius Varus. λείπειν γλυκυτάτας ἀρούρας, linquere dulciſſima arva*, carere *Quintilii Vari* gratia. Huc & tertius fati ejuſdem character: *Nos patriam fugimus.* Exterius, de bonis Mantuanis deſerendis, interius, pro ſcopo, de Curiæ Cæſareæ Romanæ, & ſpeciatim *Pollionis*, qua Virgilius niteretur, *gratia*, ſine recuperandi ſpe, mittenda. Nitidiſſimæ ſimul paronomaſiæ in *Mævium & Bavium: linquere, πέμπειν, Mævii; fugere, Φεύγειν, Bavii. Gratiam Mæcenatis fugere*, ejus ſpem neſcire, non videre, non augurari, qua Virgilius beatus præſens.

Hic

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/8 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

Hic *omnium mythorum ſtilus*, per omnia græcorum & romanorum theatra. Hic *Homerus* totus, *Theogonia Heſiodi* tota, *Euripides*, *Lycophron*, toti. *Lucianus*, in omnibus ſuis deorum rebus, hujus in perſtringendo & ludendo genii. *Nonnus* in Dionyſiacis argutis idem. *Claudianus*; absque hoc ſpiritn nullus. *Virgilii Æneis* ſine hoc ſole in tenebris. *Virgilius in ſcholis in perpetua hactenus caligine noctis.* Si per *græcorum mythos* ordine longo ire animus eſſet, in omnibus par ſtilus emineret. *Diodorus Siculus*, *Apollodorus*, in ſuis bibliothecis deorum græcis, iisdem uſi fidibus. *Res univerſa redit in hiſtoriam, in quam collimarunt, adeoque in topographiam & chronologiam*, ſine quibus præſidiis in poetarum theatris nec veſtigium reconditarum rerum agnoſcendum. *Ovidii metamorphoſes* univerſæ hac clave gaudent. Monſtrarem hac via *læta* etiam Virgilio *arva in Elyſiis campis*, in *μακάρων νήσοις*, id celebribus *inſulis beatorem*, *in Canariis inſulis*, *in Atlantis hortis*, *in Heſperidum hortis*, inter perpetuas juvenum *choreas*, *in arvorum ſponte exuberantium lætitia*, inter *mala citrea*, inter *avium cantus*, omnes delicias *in urbe & regno Coroneæ in Bœotia*, in græciæ fundo, in Lebadienſi ditione, prope Thespias. Qui liber foret. Vel extremo digito ſubindicaſſe juvabit, decantata *quatuor antiquitatis ſecula*, *aureum*, *argenteum*, *æneum* ſeu *cupreum & ferreum*, mythica tempora, ſua hac effulgere luce, Ovidio ſubridente. Seculum primum *aureum χρύσεον*, *ſupremum imperium Coroneæ in Bœotia*, longæviſſimo Saturno pro mythis imperante. Nulla phyſica rerum ſubſtantia, ſed *Coronei regiminis primævi præſtantia*. Secundum ſeculum *argenteum*, *ἀργύρεον*, *regnum Chæroneæ in Bœotia*, quæ *Jovis* ſedes dicti *Cretenſis*. Tertia ætas *ænea*, *cuprea*, *κύπρειος*, *Dircenſium* Thebis Bœotiæ furioſo regimine. Quartum ſeculum *ferreum*, *σιδήρεον*, *Arethuſæis* in Bœotia, Thebis, militari imperio inclytis, quibus *Ἄρηος*, *Martis* nomen. *Quatuor imperiorum in Græcia quatuor intervalla & diſcrimina.* Cujus genii & *Nebucadnezaris* in viſione, pro mytho, *ſtatua* : *Capite aureo*, galea aurea, Aſſyrico Babylonico imperio, in judæos jugo : *thorace argenteo*, regno Perſico, judæis gravi : *Ventre æneo*, Alexandri magni in Aſiam & judæam dominio : *cruribus ferreis*, ocreis ferreis, luto adſperſis, imperio Macedonico, in Judæos maxima ex parte tyrannico ; in Syriacum & ægyptiacum mox diviſo, pro crurum pedumve diſcrimine : donec *quatuor illa in judæos imperia dura*, *in oriente* multis ſeculis graſſantia, Maccabæorum armis arcerentur, jugo omnium illorum fracto, libertate abſoluta acquiſita, judaico Alexandri Jannæi regno ſtatuminato. Omnibus poetarum interpretibus per academias & ſcholas, per bibliothecas & typographias, *dulcia precor arva Virgilii*, Quintilios Varos in Curiis, & *læta arva*, *χαριεστέρας ἀρούρας*, *ἐν χαρᾷ καὶ χόροις*, *ἐν μακάρων νήσοις*, in Canariarum avium cantu, eminentiſſimo Coroneæ imperio primævo : ſi qua in bonis literis redeat *χρύσεον ἔτος*, *aurea ætas optimorum autorum*, ſub Coronii imperii gratioſiſſima corona.

Scr. in acad. Jul. d. 16. febr. 1740.
die Julianæ.

Julia, veritatis lumine inclyta, ambit notitiam antiquitatis. Aurea naſcatur ætas, in literis venuſtiſſimis integerrimisque.

Sub *patula fago*, *patriæ fines*, *dulcia arva*, *patriaque* ipſa.
ὑπὸ τῆς πεταλώδους Φηγοῦ, τελευταὶ οἰκουμένης, γλυκύταται ἄρουραι, γνήσιος πολιτεία.

Sub C. *Julio Octaviano* Cæſare, C. *Clodius Mæcenas*, *Quintilius Varus*, C. *Aſinius Pollio*, tres intimi Cæſaris Octaviani miniſtri Curiales, Virgilii patroni.

*Πεταλώδης Φηγὸς*, *patula fagus*, *C. Julius Octavianus*, pro imperii majeſtate, paronomaſiæ imperio, artis dicendi pingendique ampla facultate, ad ſtili bucolici ſylveſtrisve indolem & jura.

Sub patentiſſima, ampliſſima auguſtiſſimaque fago, *fines patriæ*, *τελευταὶ οἰκουμένης* : In Octaviani Cæſaris imperiali Curia eminentiſſimus miniſter *C. Clodius Mæcenas*, Cæſarei imperii moderator ſupremus, regii Etruſci ſanguinis, in cujus oculis Romani imperii fines. *οἰκουμένη Mæcenas*, pro illius apud Cæſarem potentia ac gloria : Virgilii protector. Intra patriæ fines *dulcia arva*, *γλυκύταται ἄρουραι*, *Quintilius*

*Varus*, Virgilii quondam commilito, dein in Curia apud Mæcenatem & Cæſarem promotor. Ipſa quoque *patriæ* facies fulgidiſſima, γνήσιος Πολιτεία, *C. Aſinius Pollio*, Romanus *Conſul* ſagaciſſimus & ſapientiſſimus: πολιτικότατος Pollio, qui rempublicam Romanam bene adminiſtrandi autoritate polleret, pollentiſſimus politiſſimusque Virgilii Patronus. Vividiſſima hæc auguſtiſſimæ Curiæ Octaviani Cæſaris effigies, in *Octaviano* Auguſto, & tribus ejus ſummis miniſtris, *Mæcenate, Varo & Pollione.* Tam *celſi argumenti* ſylveſtris humilisque bucolici Virgilii *ſtilus*, in Cæſaris & miniſtrorum excelſiſſimorum laudem. Quæ *bucolici ſtili magnificentia* ex ſylvis & agris foris conſpicuis ab imperito artis dicendi lectore agnoſci nequit. Interpres Virgilii, arcanorum rhetoricæ artis ignarus, nihil videt præter ſylvas & arbuſta, patriæ fundum, agros & caſas, cum gregibus & armentis, ipſe caper gregis.

Idem omnium veterum poëtarum genius, remoti ævi honos inenarrabilis. Quia *ſymbolis gaudent omnes, umbris delectantur & coloribus, in magnis rebus effigiandis*, lectoris eſt luſci & interpretis balbi, externo vocum ſono inhærere, pro grammatici munere, & rem ſub cortice hærentem ignorare; qui artis rhetoricæ immemor aut expers. *Gemina ubique poëtarum ſcena, exterior* pro externo vocum ſitu, *interior*, pro reconditis magnis & illuſtribus rebus. *Corpus* exanime, ſine mythorum, figurarum ac ſymbolorum *anima*. Lumen carminis non in veſte deaurata, ſed in ſplendentibus ſpiritus & genii radiis. *Pallida luna in vocum elegantia & puritate, ſolis fulgor in mythi penetralibus & imaginum ſplendore.*

*Sero odia miteſcunt.* In ſinu *ſerpentes* ignorant tranquillitatem, effundunt venenum: Subterfugiunt *noctuæ* auram matutinam: Extra undas *querquedulæ* timent: in colluvies *anates* fugiunt: tenent ingluviem *corvi:* aculeos ferunt *erinacei:* ululæ ſonant nocte: amant *mures* ſpolia. *Una mens ſuſcipit inſtitutionem.* Novit *animus* ingenii texturam, ſtudet integritati: *ratio* humana comprehendit ſinceritatis uſum: manſuefit *judicium*: *Senſus* ſenſim intelligunt temperantiam, *indoles* miteſcit. Similis *ordo manſuetorum inſignium ſtudiorum. Sine informatione tacent elegantiſſimi veteres ſcriptores. Non agnoſcitur mens eorum*, vigor quieſcit; timidorum inſtar capiuntur alto faſcino: triſtes imbecillesque canunt. *Autores fraudantur eloquio: verus ſcopus non attenditur, mentem ſupprimit vulgi mens.* Sors in nido aviculæ. Intelligere telam ſcriptoris, imperitiæ rudimenta. *Hiſtoria conciliat ſcriptori uſum mentis, judicii, ſcientiæ, ſolertiæ. Judicium tenerrima inſtitutione miteſcit.*

Tandem *aliquid vetuſtatis* vidiſſe juvabit: Ex ſolis ſplendore *aliqui radii* videantur: Diteſces radiis *examine præteritorum.* Cœcus nil videat; taceat, ſorti improperando: *Bruta ex deſertis* improperent, *videant.*

TYPO-

# TYPOGRAPHIÆ JVBILEVM A. 1740. DVLCIBVS ARVIS.
## Rom. VII, 6.

*Maximus veterum ſcriptorum uſus, typographiæ emolumentum munificentiſſimum.* Eſt notitia orbis immenſurabilis trames *in nativæ græcæ originis cognitionem*, in explicandis rebus eminentibus, arduis, nubes æquantibus. *In toto ſyſtemate* inexplicabilis roboris *hiſtoriæ civilis*, excellit *virtutis quæſitæ exordium. Animi res* ex virtute ſuperbiunt veritateque. Theatrum illuminatum *ratio* in ponderandis ſententiis, dijudicandis actionibus, dirigendis expeditionibus. Superior mundo *animus*, juſta rerum origine libranda, gradibus mutationum animadvertendis, negotiis ancipitibus volvendis. Eſt *animi res, ex tenebris in lucem evehere auguſtam dignitatem virtutis.* Nubes deſcendunt ad nos *originis notitia.* Ambiguitas invia via. Tendit animus ex tenebris ad portam ſolis: Exulant tenebræ noto ortu fulgurantis diei. Arguit ratio originibus inſpectis: ponderat officia recti propoſiti. Tempeſtates videt, advertit turbines nubium, metitur menſuram greſſuum virtutis augendæ. *Trahitur in biviis animus in lævam*, it contra naturæ ordinem, concutitur ingenti terrore. Veritas tunditur, rationis judicium violatur. Trepidare eſt inficiari. Terriculamenta agunt truciter: juſſa rationis exigunt velamenta. Exſerte affirmare, in rationem arma rapere. *Emergunt tenebræ in lumine.* Eſt animo caligo inducta: Lumen blandum vadit polo: in erebum reducere ſolem, in nubibus natare ambiguis. Mens veretur conflictus, ardentes urentesque globos, in ſole caliginis exordia. Nox obſcura negat ſolis viſum: Nox eſt gravis integro diei. Nihil ex benigno, jucundo, rationi conſono: Subobſcura veritas, neſcit auram mundam: ſilet indies, tacita: noctem exſpectat inclinantem, rationis officio. Aurora indicium negotiorum, jus honeſti tentat ortum: ratio comes actionis. *Res eſt periculi munire verum.* Mens intuetur ſtrepitum ſimultatis: inſpicit tragœdiam ex viru Socratis. *Nihil antiquius morte amara in literis:* virulentia in artibus: imbibunt muſæ edulcoratam dementiam: Animus cogitat abyſſum: nox in meridie. *Vnum veri officium neſciri.* Opus eſt lumine in beneficiis veri inveniendis. *Eſt aliquid, in horam perſpicere amœnos radios:* graditur ortus propere in tenebras. *Conſultum obſervare horam, obit in tenebris ratio ex tempeſtate.*

Fortunatiſſimum *typographiæ*, in Germaniæ ſinu Argentorati ingenioſe adinventæ, *jubilæum ex nova typis ſcribendi arte, optimarumque literarum cultu novo*, omnibus *jubilæis* præſtantius, illuſtrius & glorioſius. *Dulciſſima arva*, cum immenſo artium & ſcientiarum fructu *tribus jam ſeculis proſperrime culta;* inſuperabilibus *bibliothecarum* montibus & ſylvis, hortis & paradiſis, copioſiſſime ſtructis & adornatis, incomparabili *novi mundi* exemplo.

### *In primum typographiæ ſeculum, ab a. 1440. ad a. 1540. quo dulcia bonarum literarum arva diligenter culta.*

### Inchoaſſe, bonum.

*Prima ſcribendi ars* in orbe, literas, & cum illis diſciplinas, inexplicabilis uſus & honoris, mundo donavit. *Poëſis pedes dedit literis*, ut immotæ ſtarent, dum vellent, irent ſcriptis per univerſum orbem. *Poëſis os addidit literis*, ut canerent, & res magnas in theatris publice manifeſtarent ac celebrarent. *Literæ* omnibus ſuis lineis orbis *lumina. Literæ* veritatis & virtutis cognitæ *templa. Novum literarum genus per æneos typos, & novum ſcribendi genus per typographiam*, a. 1440. Argentorati inventum, novos ſoles, nova ſtudia, novas diſciplinas, orbi compararunt.

### *Dulce eſt ſub patula lætus requieſcere fago.*

1. *Priſtina ætas temperavit umbra lucem auguſtam.* Formavit artificioſe, graphice, vultum ſummorum Imperatorum, venuſtius lampadibus. *In viris ſummis* ornandis, canendis triumphis, aſſerendis virtutibus, *imagines arborum, nemorum, vinearum, ſylvarum, camporum, agrorum, excelſarum ſtirpium*, ambitioſa reverentia. *Regum arma ſimulacris effigiarunt armentorum campeſtrium. Symbolis univerſa negotia admiranda inſigniverunt.* Victorioſa arma, triumphos, condecorarunt *opilionum* ſcipionibus; valorem ingentium legionum vigore inclytorum *ſaltuum.* Vrbes *greges, armenta* familiæ, aula *lucus*, vernæ *tauri*, aſſeclæ *pecora.* Præſidia antiquitatis theatra virtutum, lumina actionum: *Frondes æſculi*, grandia volumina *ſalicum: Imagines volucrum, leonum, ibium, urſorum, ſerpentum.* Ornatus comtiſſimus theatrorum, aulæa viridantia in actionibus numinum venuſtandis. *Symbola concinniſſima admirandarum expeditionum ſingulari arte rhetorum.*

### *Dulcia non meminit, qui non guſtavit amara.*

2. Serio volvimus rerum ambitum: veſtigia ſpectamus. *Vehunt initia longa indicia termini non inveniendi.* Veſtigamus, quærimus. Auſpicamur, vertimus rhombos, attenti *advertimus impedimenta, conjicimus*, lætamur veſtigiis decoris. Debemus vetuſtati laudem conſtructæ juſti-

juſtitiæ, animi aperti, rationis vegetæ, attentiſſime quæſitæ veritatis. Ignoraremus, niſi telam inſtituiſſent literarum, in veritatis ſcrutamine, virtutis ambitu reverendo, uſus ſempiterni. Scripſerunt vera, recta, ardua, venuſta, ſuſpicienda, veneranda, inſignia, luculenta. Judicii tribunal, nuncius ingenii, venuſtiſſimis quæſtionibus. Amicitiæ vincula, religioſiſſimi amoris ardorem, impenſiſſime commendarunt. *Luminis uſum dederunt.*

## *Commentarii in veteres autores manci.*

3. Antiquitas jubet *cauſas* indagare. Dignum, *veri* inquirere *tramitem.* Non valet tueri recepta. Ex vetuſtis bonis *virtutis* ſuperſunt *auſpicia. Ratio exigit notitiam veterum munerum. Theſauros* vehunt ingentes, referunt *beneficia* inexplicabilia. Largiſſima manu uberrimas promunt *opes.* Cognoviſſe ſcopum tempeſtivum eſt. *Mellitiſſima veterum ſcripta non explicantur ſincere.* Tentare neſciunt vetera tempora. Recentia exiſtimant vetera. *Non intentio indagatur.* Invertuntur recta, accumulantur trita. Nulla eſt mentio mentis olim competentis. Animus veterum rumpitur, voluerunt contrarium. *Amant munera judicia.* Scriptores ſagaces invertuntur *tomis commentariorum.* Excedunt recto tramite. *Neſcitur vetuſtas, ignorantur cauſæ.* Affinguntur falſa, a veris remotiſſima. Veritas muta. Mutire virtutem contingit. Antiquitati reddimus gratiam experienriæ. *Non tenemus vetuſtiſſima munera.*

## *Principium typographiæ ab a. 1440. ad 1500. ferbuit juſte, priſcis autoribus multis, græcis & latinis reſuſcitatis, Laurentio Valla græco N.T. prælucente.*

4. *Antiquitas legavit omnigenam hiſtoriam confinibus ſeculis.* Sequentia commendarunt eandem longis ulterioribus ſecuturis. *Noſtrum, obſervare compagem.* Ex remotis orbibus tenemus exordia hiſtoriarum. *Remotæ eventuum ſcaturigines.* Ex initiis fines, media vult ratio. Eſt temporis indulgentia, conſecutio. Ex antecedentibus habet terminus exitum. *Lex ordinis,* velle initium ſequi. Auſpicium inchoantis, ſucceſſus exſpectantis. Ligamenta combinant cum exordio. *Negotia in rota orbis.* Trahuntur, expediuntur, hærent, repetuntur, ex lege. Verſantur, ſolvuntur, nectuntur. *Ordo concinnatur ſollicitius, cautius, elegantius.* Sine effectu innumera. Fiunt multa errore. Decet aliqua emendare. *Caret expedita actio hæſitantia.* Tenere eſt longo ordine volvere, *integra ſerie. Optimus terminus pro integritatis gratia.* Ex auſpiciis ſucceſſum condere eſt longi uſus. Succedunt neceſſaria, ordine congruo. Eſt rationis, ordiri ei am, eſt honeſtatis recte expedire, ſpei eſt intueri finem. Subinde eſt ſedendum, ordiendum melius. Eſt neceſſe, opportunitatem bene obſervare. Timere eſt luxato ordini valedicere. Avet natura virtutis terminum. Res optimæ fiunt integre, ſincere.

## *Medium typographiæ ab a. 1500. ad a. 1520. non tepuit, quo Ximenes Cardinalis, Reuchlinus & Eraſmus, V. & N. T. fontes primi in Europa typis velut ligonibus aperuerunt, quos palam haurire fas erat.*

5. *Intereſt, incipere candide, indagare diſtincte.* Vis *judicii,* inhærere legibus uſitatis, concipere ſententiam *animi maſculi.* Magni æſtimanda *virtus, quam ex animo intendimus.* Tota noſtra actio *fortitudinis non infantiæ.* Temporis eſt bonum admirabile, *habet* ſeriem, valet longitudine *plus* ſeculis integris, illorumque millenis. Excellit doctrina auguſta, congrua *academiis.* Non *in* medio vulgi inſtitutio digna. Vagum temporis *ſtudium.* Manent vetuſtatis initia tecta, negatis originibus *fontium.* Solem intuemur, lucem videmus, cunctis elabentibus *ſeculis.* Stamus in *his* ſemitis, obſervamus naturæ arcana. Intelligimus temporis ſyſtemata. Integritatis regula honorat *chriſtianos.* Regit experientia tranquilla nos, *inter* moleſtias, urentes tempeſtates. Adulari, gloriari, luxuriare, voluptuariis *vulgatum.*

## *Vltima typographiæ primo illius ſeculo ab a. 1520. ad a. 1540. non friguerunt, emendatione humanitatis, ac reformatione doctrinæ cujuscunque, Saturni lumine ſplendidiore.*

6. *Eſt nativi judicii, metiri autoritatem traditionis veritatis regula.* Communis ſcientia ſerviiis, imminet tota avorum traditis, inquirere renuit. Eſt verum, traditionis egena experientia non indagine munitum. Accipere ſecure, comprehendere expedite, exordia neſcire. Imaginatio ſufficit. Scire in ſinu ſine judicio. Multa dicuntur audita ex rumore. *Vulgata cognitio eſt ſecurior majorum veſtigatione. Res odioſa indago.* Aliquid mittendum ſuperſtitioni vulgi: bene judicare neſcit. Opinioni indulgendum, traditioni inſiſtendum. Dicenda accepta relatione tuta. Non inquirimus rigide, *opinamur.* Nulla infinitorum memoria. Eſt rationis admittere rationem aliorum. Tenemus innumera, conſcientia ſecura. Inconſulto dubitare, eſt repudiare oracula, juſſa, aſſerta, majorum. Eſt virtus optimum bonum, æternum.

## *In ſecundum typographiæ ſeculum, ab a. 1540. ad annum 1640. quo dulciora elegantiorum literarum arva diligentius culta.*

### Continuaſſe, melius.

1. *Eſt tranquillitatis agere tuto.* Invitus vovet, inſpicit tramitem, ambitum neſcit. Nec ordo notus. A nullo incipit, linquit prima. *Inops conſilii ſciſcitatur initium.* Dolet ſtatuiſſe. Conſulit efferos ſenſus. Juſſa rationis excutit: Negat exercitii gratiam. Molitur egena: Decore ſuſpecta: Vitia inſignia. Ex animo cavet integritatis ſigna. Vult multa, tentat exilia. Eſt ambitionis, velle gerere nova, inviſis legibus.

2. *Serenum judicium tradit recti amorem.* Tentanda neceſſaria, ut ſequantur ardua. *In via quærere rectam viam, turbinis nota.* Vovemus lucem orta caligine. Serio conſideramus exitum. Eſt argumentum, gratiam neſcire injuſti laboris.

3. *Eſt artificii, inchoare conſiderate.* Neſcit impetus volvere opus. *Rude præcipitium.* Tempeſtivus eſt ſucceſſus expectatus. Non omnia inveniunt gratiam ex repentino tumultu. Ordine venit quæſtus. Juſti temporis conſilium eſt laboris ardui indicium. Deligenda tuta, opportuna, tranquilla. Ex auſpiciis venari gloriam, neſcit inſpicere libræ medium. *Eſt deliberandum ſerio, unde jucundus exitus.*

4. *Supervenit improviſus nodus, & terret nexus.* Ex catena trahere nonnulla vincula, rumpere eſt. *Fallit fortuna in dubiis.* Serpunt in via inviſæ rubetæ: Serpentes in tramite. Non omnis fucus mendacii expers? Decipiunt ſalebræ: urit invidia, emaciat illiberalis lingua. Animus trahitur illecebris. In nexibus adſtrictæ manus. Res evadit gratiæ. Integritas cavet extrema, vitat ſtrepitum, juvat nutu, adhortatur decenter: *Ingenuitas non nutat adverſitate, tolerat, imprecari renuit, bono injurias lenit, levat auſteritatem. Genius infucatus novit artes placandi, ſponſionibus juſtis honeſtisque.*

5. *Ex terrore non apertus patet exitus.* Requiritur conſilium ſerenum, illibatum, durabile. *Sermo juvat recti oris.* Oratio neceſſaria obſecrationis ſpecie. *Anxietatem tantisper ſimulare, eſt fallere injurias.* Negotium animi, mollire ſermonem, imbecillitatem teſtari; *comis excuſatio, lenis apologia, inculpata declaratio.* Noviſſe in afflictione innocentiæ gloriam, oſtentatione longe abſente, nota admirationis.

6. *Ex tempeſtate veniunt turbines.* Rectum, integrum, verum, juſtum, decorum, nativum, arduum, conſtant, immota fiducia. *In negotiis genius imago ſolis.* Magnum eſt, reperire tramitem ardui muneris. *Tenet virtus animum magnum.* Evadit nix in guttas, in rivos. Origine tenerrima naſcuntur ulmi umbroſæ. Sub caſis exilibus ſurrexere veterum ſummates. *Res originibus reperiuntur parvæ.* Non oriuntur negotia in tecto; conteguntur etiam lecto abitura in diem.

## *In tertium typographiæ ſeculum, ab a. 1640. ad annum 1740. quo dulciſſima humaniorum literarum arva diligentiſſime culta.*

### Perfeciſſe, optimum.

1. *Ex tenera ætate tandem inclyti viri.* Conſpicimus in principio ſemina. Radices emittunt plantas: creſcunt arbores: ex ramis onera conviviorum: ex denſis ſylvis inſtrumenta nobilium opificiorum, in tectis conſtruendis. Viridaria rubent tenerrimis ſtirpibus: nobilium olerum congeries: obſonia regum principumque. Ex nuce inſignia germina, ingentis roboris. *Omnia ortu recenti parva, orta naſcuntur, ordine ſurgunt. Talis eſt omnis notitia:* ordimur, tendimus, ordine recto procedimus, majora augmenta capimus, impetramus totarum artium menſuram: maxima augmenta referunt gloriam. Doctrina augetur obſervatione, uſu quotidiano. *Initia rerum exilia, vigent progreſſu.* Termites novæ artes, tacite creſcunt arbores, rami trahuntur ſurſum. *Ampliſſima virtutis gratia, notæ incrementis longiſſimis.*

2. *Magna voluptas recti emolumenti.* Res multæ uſu turgent. Anni natas res ornant. *Trahit exercitium multa augmenta.* Congruentia in rebus ornatum texit. *Eſt honoris, reverentiæ, dignitatis, arduum opus.* Valet quercus immani robore. In vinea traduces numero amplo. Seges redit ex verſura ſementis. Agris vivunt granaria. Natant juſculis linguæ.

3. *Melius,* argumentum concinnitatis. In tractandis artibus *majora momenta,* augmenta rerum graviorum; Decentius, admirabilius, ornatius, validius, quodcunque, *ex lætioribus incrementis. Nihil eſt venuſtius uſu jucundo.* Major virtus, integrior, tranquillior, operoſior, generoſior, excellentior, nitidior. *Supererunt ex noviſſimis orbibus, ingentes ſtrues rerum eminentis virtutis.*

4. *Surgunt abietes,* teneri cupreſſi, eminent tectis: trahunt eximias ſylvas: aſſurgunt termitibus rami extenſi, panduntur ampliſſime. Spes eſt res dulciſſima arboretorum, olivetorum, vinearum. *Quæſtus maximus verſuræ culturæque.* In liquoribus olea, balſama, mella. In ſaltubus


toti

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/13 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

toti exercitus menſæ uberrimi cibi. In hortis tragemata, immenſæ menſuræ. Sagenarum inſidiæ mirificæ in rivis, piſcibus menſæ inferendis. Multo uberiores *literæ in triumphante ſtilo decoratiſſimorum autorum.* Offertur veriſſimus quæſtus ſcientiarum, inenarrabili numero, ordine incomparabili. Tempus in deſignandis uberrimis reditibus excidit. Temperies eſt judicii, ingenii concinnitas. Intellectus divinus vigor, inexplorabilis mentis validum lumen, uſus conſiderandi ſeverus, animus maſculus; ſententia vegeta, propoſitio opulenta. Enunciandi nivens ornatus: in ſcribendo nitor exquiſitus. Cuncta ex rationis motu, veri regula, exercitio robuſto. Monent erudite, referunt ordine, tenent virtutis autoritatem. In rebus augendis tribuunt elegantiſſimæ rhetoricæ principatum. Res exponunt tectis numinum imaginibus.

5. *Auguſta lumina orbis benigniſſimis mythis ingenioſe ſignata.* Mundi veteres rexerunt orbem honeſtate, tranquillitate, integritate, modeſtia. Amicitiæ munus inſtar ſolis Splendor in texenda venuſtate; gratia reſpondendi amœniſſima. Theatris exhibuerunt argumenta rerum excelſarum; dominii, neceſſarii obſequii, pondera: magnum veracitatis robur, ex recta adminiſtratione: In vitiorum barathris odia auſtera, immanſuetam truculentiam, nauſeam emendationis, grandem nequitiam, immania brutalia oſtenta: *Amœniſſimis numinum imaginibus rerumpublicarum triumphales conditores obſervantiſſime delinearunt:* In negotiis magnis ordinem tribuerunt ſapientiæ, experientiæ, ſollicitudini, utilitati, juſtitiæ. Terrere ſubinde viſi greges vulgique armenta. Theatra excellunt ſagaciſſimo virtutum inſtinctu. Spirant optimum rationis exercitium, præmiis opulentiſſimis. Ex recto & ſincero nativam evolverunt copiam emolumentorum. *Robur mentis ex recti obſervantia, templa vetuſtiſſimorum autorum.*

6. *Rami ventis turbinibusque jactantur: Conſimilis in diſciplinis luſus.* Integra hiſtoria index nebularum ſtrobilorumque. *Orbis humanus theatrum indeſinentium mutationum.* Advertit ratio tempeſtiva inſtituta condita. *Ex navis origo juris, tribunalibus apertis.* Tranquillitas egregiarum rerum palladium. Redit emotio, temperies novit initium mutationis. *Veritas in tempeſtate non obit.* Fundus animi conſtantis, integritas, ſinceritas, juſtitia, humanitas, prudentia. *In legibus arma. Res expendendæ temperati judicii lancibus.*

Scr. in acad. Jul 1740. 18. Febr. die Concordiæ, obitu Lutheri.

Alitur ignis diſcordia: Ratio orditur concordiam. Nugæ opprimunt conſenſum. Conflictus ordinis neſcius. Complexus obſervantia recti. Diſſidium initium anguſtiæ.

## *In quartum typographiæ ſeculum, ab a. 1740. ad a. 1840. quo fructifera manſuetiorum literarum arva impenſius colenda.*

### 1. Ordo rerum anima. Ξανθικός, ניסן Martius, circiter.

*Sunt excelſa noſtri initia. Mundus oriens, homo.* Interiere vetera, ortis novis. Decedentibus extremis, ſequuntur ſecunda. Ex deperditis veteribus, *circulo* emergunt priora. Evanidis antiquis, ſuccedunt *ordine* nova, numeroſiora abſentibus. *Naſcuntur omnia nova.* Initiis textis, exitum vovet ſucceſſus. Novit *auſpicium melius* inſtituti *terminum ſuaviorem.* Valet initium *intentione* termini apti. Congruit ultimo fini nobile initium. Inveſtigare *tramitem*, conſilii eſt robuſti. *Inchoare* rectos greſſus eſt *tentare* negotium integritate. Juvat noſſe *ordinis bona.* Inſtinctus *rationis* juris via. Rationem valide moderantur exſertæ *leges. Præcepta* menſuram exhibent tramitis. Negotiorum omnium compendium *inhærere legibus latis. In via* quærere negotiorum ambitum, *remoram* trahit. Temperies ex initii *tranquillitate. Erecto animo lætoque* exordiri, claram vehit lucem. *Semitam* intueri *tutam*, veſtigium tranquillæ rationis. *Initium violentum* arguit negotii extrema rapida & ſæva. *Nullus invitus recte agit. Bona voluntas* indicium *ſcopi* integri. *Legum obſequium* ſuperat millena vota. Rigide eliminanda vetita. *Abit ſalus legibus verſis.* Præcepta expectant *debitum.* Sapit vir bonus *initio tramitis*, non obnubendo frontem. Sollicite *indagare media* juſtæ ſemitæ ſervandæ, imperat *decus.* In principio minus intelligitur *legis autoritas.* Ex nexu invenire *gratiam* indicium *lubentis animi. Contra animum* ſiniſtra negotia. Eſt *malle* melius. Imperandum tectæ voluntati. Mens vult, ratio oſtendit. Rationis eſt tramitem ſternere, ordine propoſito. *Tramitem emetiri mediis eſt dignum.* Non attingitur terminus mediis vagis. *Rumpitur trita ſemita ordine neglecto.* Eſt rationis expendere gratiæ augmenta ordinis integritate. *Res ex ſententia, conſilio opportuno habito.*

Scr. d. 19. Febr. 1740. Antiquitatem nemo novit ante ſcientiam veterum ſymbolorum.

## *In quintum typographiæ ſeculum, ab a. 1840. ad a. 1940. quo mellitiſſima literarum arva integrius colenda.*

### 2. Integritas operis principium. Θαργηλιών, אייר Aprilis.

*Sine inſtituti integritate communiter ſequitur nefaſtus ordo. Conficere* eſt veri quæſiviſſe *ſcopum*, intemeratum *terminum. Vltima terminantur regula initii.* Vna *ſpes* in toto ambitu temperat

perat inſtituti recti experientiam. Veniunt ſubinde vulturni, blandiuntur initio, tumultuantur repente, excutiunt propoſiti ſucceſſum, convellunt expeditionem. *Suadet intenta ratio vereri tempeſtatem.* Vrunt fulmina. Mens videt *rerum ordinem novum inchoandum.* Conſilium ſecurius avet fortuna. Sæpe incidit rumor & terret, ſuadet obtegere propoſitum. Tutior in ſilentio incepti modeſtia. Metiri oportet contingentia ſuſpecta. *Inſidiæ repunt & ſerpunt.* Moventur vagi turbines, nubes emergunt montibus altis: tonant, ſtrident. Ex terrore magna verecundia. Rapiuntur & conquaſſantur negotia integerrima, ſinceriſſima. Turbulenta excitant metum, urunt ſenſus, ſubminiſtrant ingentem molem moleſtiarum, ordine convulſo. *Jus expediendi difficilem invenit fidem.* Eſt arbitrii non optare beneficium. *Res eſt periculi, abire juſtitiam.* Temerarium niti autoritate dicentis. *Nuda valet benevolentia arbitri.* Minæ violentæ, nulla jura. Gravis injuria regula veri. Temere appellat conſcientiam ſervus. Majorum virium robur armorum. *Maximi juris ratio potentiæ.* Omnium rerum primum *juris dictamen.* Nihil extra legem publicam. *Majeſtas juris ſupra jura.* Virtus juris reddere ſuum jurgiis. Dicere nihil valet, modo ſerviat jus voluntati. Obeſt, non tenere effatum. Servit juſtitia ex lege honoris. Contra ordinarias regulas tendere, iniquum ducitur. Noſſe emolumenta incrementaque reipublicæ vehit anchoram honeſtatis. Scire commoda eſt ſemita exhibendi decoramenta urbi locoque amplo. *Prodeſſe multis uſum refert optimi juris.* Rationem audit tempeſtivum negotii exercitium. *Menſura modulusque omnium conſcientia.* Ex ſtatutis ſapere juri videatur tutum. *Jus tribunal ſtatutorum.* Examine rationis tutum eſt exigere *ſtatutorum ſenſum.* *Antiquitas referta eſt periculis.* Valet, *cauſas* explorare reconditas *juſti dictaminis.* Neceſſe eſt *tueri rectum ex vero.* Suſpectum verum iniquum. *Totum jus civile ex fortunæ fraudibus uſu ſubnatum.* *Scire inſtitutorum rationes utiliſſimum.* Vetuſtorum temporum ulcera fecerunt ſanctiones, inſtituta, leges. Vetuſtiſſimorum conſultorum examina ſunt ſymbola injuriarum. *Grandis opulentia legum orbem loquitur iniquiſſimum.* Hiſtoria priorum temporum infandorum ſcelerum index. Magna molimina odiorum, contentionum, ſtatutis anſam dederunt. Nationes antiquæ generarunt regulas *vitiorum purgamenta.* Scelerum culpa effatorum medicina. *Vitiorum noxa origo inſtitutorum.* Symbola rerum enormiter volutarum ſtatutorum annales. Nequitia veteratorum confecit ampliſſimas leges. Avertenda damna nequitioſorum extorſerunt grandes rhombos effatorum, terribilium edictorum. *Damnare ars juris: Servare, exercitium legis.* Concordiam communem evertit barbaries. Arcenda *everriculo jurium* ruſticitas animorum. Bruta rudunt, armenta boant: Animalia terrentur armis ruralibus, exercentur tribulis & venabulis. *Negotia juris oppoſita roſtratis pecudibus.* Sermones ex tribunali nuncii obſcœnorum facinorum. Effectus ſcelerum ſupplicia juſta. Vſus rationis extruſit pœnarum aſperitatem. Contra audaciam excedentem ſevera ſententia juris. Definit judex dira. *Damna extorquent rotam.* Obſtringenda voluptas enormiter agentium. Obliganda legum laqueis infrunitorum opera. Torquet concilium efferos, feroces, oſtenta rerum propudioſarum. *Status juris tragœdiæ amplæ ſitus.* *Juris negotium obverſari brutis.* Trucidare, necare, excoriare, radere, exſecare, legum opus cultiſſimum. *Mulctæ amaræ, urentes querimoniæ, miniſtri eminentes tribunalis.* Ante thronum ingentia rabularum volumina. *Procuratorum* turmæ enarrant *rabularum* eloquia. Dedecora decore eſtantur. Referunt moles argumentorum, deferendo nequitiæ ambages, uberrimo quæſtu. In extricandis reis eruderatæ artes nugas augent. *Juris terminos* ſtipant, iniqua retia hiſtriones contexunt: tumultuantur vultu triſti: invehuntur viriliter. Allegant *gravia reſponſa* virorum præclarorum. Tumuli inſurgunt *legum*, vaſtis tomis ſcriptarum. Vſus publicus memorare *excerpta teſtimoniorum.* Cumulantur *nomina veterum tribunalium.* Terribilia vetuſta *ſenatusconſulta* vehuntur. *Beneficia juris* dominantur. *Reſponſa ordinariorum* ſummis evehuntur ampliſſimisque laudibus. Omni honore cultiſſimæ ſcholæ muniunt umbram *novis oraculis.* Impenetrabiles nubes inſtitutionum, pandectarum, *opinionum bullæ.* Armamentaria *magnarum academiarum, inviolabiles tractatus*, nebulæ exercitationum, immenſi codices ſententiarum, novæ *oraculorum concordantiæ.* Tanta juris vetuſti agmina, grandes exercitus legislatorum, *belli apparatus.* Struunt, exclamant, lacerant, laniant. Arma verboſiſſima necem intentant. *Ter excipiendum. Transmittere juſtum, ſententias ſuperbas exſpectare religioſum.* *Publicare, excipere denuo,* ſolenne. Explicandæ transactiones, negotiationes, ordinationes, monitiones. Expedit ulterius quærere munitiora, venerandioraque reſponſa, omniſcia *decidendi norma.* Affirmandi facultas & negandi, mandantium vice. *Rationes* opportunæ *decidendi* numerantur, argumentis funeſtis. *Nihil in memoria ultra veteres titulos juris romani.* Subſervit *jus dominans naturæ, autoritate invicta decidendi.* Vniverſale, publicum, expeditiſſimum remedium muniendi verum. *Ratio,* omnium juſſibus altior, major, ſublimior, juſtior, negotioſior, innocentior: Conſultum ſenatus amiciſſimum, familiariſſimum, *inſiſtere dignum naturæ effatis.* Inſtitutis congenitis jus potius. Sanctior *naturæ inſtinctus.* Effatum *tribunalis naturæ*, efficacius, temperatius, tolerabitius.

lius, admirabilius. Terra excluſit effata reverendiora, expeditiora, benigniora, indulgentiora, liberaliora, meliora. Etiam *terra alit tribulos.* Leges valent curvi aratri facultate. Eſt uberrimus quæſtus telluris, in dandis & diſtinguendis *titulis juris ſati.* Cura arvi reddit tributum & debitum. Satus ager ubertatem refert arbitrio legum. Manus validæ regulas terræ aptas parant. Terra effloreſcit & agit legibus operoſi hortulani, cultorum ſolertium. Sciunt *intima jura ruris.* Agri tractantur naturæ experimentis. *Minima, maxima, ope culturæ.* Terra infandis vitiis tumet. *Inſtitutiones terræ ſunt exacuta raſtra.* Subminiſtrat jus naturæ arvis inſignes titulos ſocialitatis, integritatis. *Reſpublica humi condecentiſſima.* Sobrium etiam *theatrum naturæ omnibus fluminibus. Naturæ jus ſtagnis*, voraginibus, inundationibus. *Tonitru* jus dicit, *imbres* dicunt. Dicunt elementa regulas. Evagantes *venti quæſita ſua jura memorant, Incendia* nativa agnoſcunt ſua jura. *Lumen* uſui conſecratum oculorum, exercet auguſta jura ſua. Exiſtunt *leges caliginis*, cœli effato. Sol oritur tentis venuſtiſſimis regulis. Elephanti, equi, inſtitutis reguntur. Agunt *bruta* regularum arbitrio. Beſtiæ admittunt uſum effatorum. Amant *galli* naturam ornatam legibus. *Apes* jus dicunt & meditantur ſecuritatem cultus. Examina *volucrum* nativam amant munificentiam juris. *Mures* ſervant arrodendi regulas. *Equiſones tenent equorum jus naturæ.* Inſtituuntur legibus *homines* conſimili uſu exercitioque regularum. Scutica obſequioſa, coërcet equos. *Armenta* reguntur *gregesque* titulis & ſono. *Orator* conſultus, *judex*, *arbiter regit benignis effatis homines. In tota natura excellit modus agendi tenore ſtatutorum.* Ex tenuibus exiguisque unguiculis quælibet ſors videt jus. Regulæ tributæ univerſis. *Supereſt educationi theatrum naturæ, origo fortunæ.* Summopere valet textura legum uſu formandi fingendique. *Vox* ſuadet & trahit, amice tenet. *Jus rationis ori, tribuit voci autoritatem.* Compellat, admonet, adhortatur juris titulo. Adhibet *rhetor*, *grammaticus*, inſtituendi juſtas regulas. Exercitationes *philoſophicæ* mentem imbuunt mollem uſu principiorum ingenuorum. Componitur natura *jure ratiocinandi* præpollente. *Erudiendi* tempeſtivum *ſtudium* eſt theatrum inſtitutionis ſolertiſſimum. Naſcimur *expertes juris linguæ*, adoleſcimus ſtudiis excellentibus veritatis virtutisque. *Eruditio adminiſtrat totum ambitum temperandæ naturæ. Aſſidua cultura* eſt dignum medium unum dandi verum decus. *Temulenta natura extra ſolertem ſagacemque inſtitutionem.* Vſus facit ſapientes ex doctrina, vegeta admonitione, rationis favore. *Exempla aliorum inſtar præceptorum.* Æmulatio via quæſtuoſa. Tentatur natura exercitiis, regitur exemplis, gaudet ratione. *Experientia* perficit & roborat expeditionem. *Leges lumen afferunt fortunæ. Male agitur in ſocietate extra leges.* Conciliat curata exercitatio ornatum. Comit cultum fucus. *Expeditio nonnunquam mentitur uſum juris; imaginibus legum inverſis: Succeſſu caret educatio.* Temporis iniquitas ſimulat leges, uſu derelicto. Natura jus ſuggerit *informandi: Jus tenent nationes & gentes legum univerſalium:* diſtinguuntur notitia, judicio, integritate. Nationis regimen ex favore nutuque imperantis. *Tolle educationem, interibit cura rationis, ordo exſpirabit, rectus animus vix quæretur.* Triumphat exercitium rationis, amore doctrinæ. Mente excitata, diſciplina invenit fidem. Ex attenta repetitione *veritatis* tenentur *principia: imbuitur ratio cura ſermonis ingenui:* lumen oritur ſolis in veritate quærenda. Succedunt *virtutis jura.* Ratio auſpicatur. Regula virtutis *temperies.* Primum in rationis conſiliis *ſinceritas.* Doli expertes ſunt ſinceri. *Virtutis jus recte agere.* Imbecillitas teneræ naturæ elevanda tenaci novaque exercitatione. Sopor rus: oblivio tribulus: campus oppletus dumetis: intermiſſo rationis arbitrio, exulat recti cura. Turba ex latis legibus ornatum nanciſcitur, ſine illis turma armenti gregisque. Extra leges eſt rudis ſors animalium, rancida bruta. Eſt natura emancipata tenebris ſenſuum, animus vitiis ſervit. *Ducimur ad ſolem inſtitutione.* Tota ſchola immerſa tenebris, oppreſſa cognitione ſincera. Timet eruditio, ſervit judicium. *Triſte ſtudium imperitiæ.* Mancipium os hominis truculenti. *Servitus una bruti judicii, deſiderata virtute.* Aguntur res fraudibus. Maſſa vitiorum rationis arbitrium. Ingenium timidum neſcit exercitium. *Trames nocturnus eſt ſervitus ſenſuum.* Infecta turbulenta conſcientia *ementitis traditionibus.* Ex dumetis texta vepreta. Titubat innixus ſenſibus. Servilis expeditio cum conſcientia urit ſenſus. Ex voraginibus quærere ſolis viſum opus excœcati. Intereſt noſtri orbis, inchoare tandem aliam menſuram rationis ornandæ, formandæ, excolendæ. Res judicii, rationis erectæ. *Homo totus uſus lucis. Extra auram tenebricoſam animus templum numinis ejusque thronus.* Scr. in acad. Jul. d. 22. Febr. 1740.

## Typographia in Cathedra Petri: Johannes Guttenberg, Argentoratenſis, Johannes Fauſt, Petrus Scheffer, triumviri, reipublicæ literariæ renatæ genitores immortales.

*Sidera effulgent lumine:* aperiunt theatra rerum omnium miranda, mundi imperſcrutabilia ſpectacula, eminentium regum opportuniſſima tribunalia. *In noſtris Europæ gentibus excellunt artis typographicæ cultores.* Nata eſt *reſpublica emendatior*, attentior, integrior. Recuperat

perat *antiquitas* rationis excultæ trophæa. Ingenuarum *literarum emolumenta* aucta cumulate. Impreſſis libris beneficia vetuſtatis patefacta. *Ingenia* evigilarunt, recti judicii robur inviolabili valore munivit *veritatem*. Ignotus rationis trames repertus, *expuncta fallaciarum fuligine*. Emortua *hiſtoria* cœpit ſurgere. Sapientiſſimi veteres *rhetores*, theatris eruditiſſimis *poëtæ*, templa ſapientiæ uſibus aperuerunt fauſtiſſimis. Sepulta excors negligentia; nati ampliſſimi honores officiorum ingenuorum. *Studia infucata* ſenſim noſtræ Europæ tribuerunt *auctoritatem robuſtæ orationis*, temperatiſſimæ novæ elegantiæ, *geniis redintegratis*. Abiit gravedo, rediit experrecta bella nativa *emendatio*. Torpor tumulatus, vigilantia gaudio. Sopor exiſtimatus noctis nepos. *Aurora humanitatis officiis inclytiſſima*. Indixit *ratio* temperiem *experientiæ*, probatiſſimis autoribus reſuſcitatis. *Doctrinæ emendatæ honos tributus argutæ cathedræ*. Nubes incumbentes *apoſtolis* inhibitæ. Hoſpitium *prophetarum* apertum. *Rediit græcia orbe pulſa in thronum.*

## *In ſextum typographiæ ſeculum, ab a.* 1940. *ad annum* 2040. *quo ſolidiorum literarum arva attentius curanda.*

### 3. Scientiæ recti, menſura agendi. Σκιρροφορεὼν סיון, βύσις, זיו Majus.

Agere digne neceſſariam arguit *faciendi expediendique notitiam. Imperitia res agit fortuito.* Temerarium eſt res efficere greſſu rapido, ex periculo. *Agere vafre gravem notat injuriam legis.* Expedire naviter tempeſtivum urget principium. A capite menſura uſus ſumenda. *In corporis exitium abit rationis præcipitium.* Somnus cogitantis origo mali. *Scientia novum bonum in uſu quærendo. Ignorantia novit infinita mala.* Exordium damni imperitia. *Cognitio cauſæ vadimonium ſpei.* Tuto vis agere, incipe nutu judicii. *Mens exhibet tramitem inchoandi negotii.* Eventu ordiri pœnitet. Sagax exordium, totius negotii ambitus nativus. Infortunatum medium ex gravi neglectu initii. Judicium vovet initii valorem. Incepiſſe decenter eſt rectæ expeditionis anchora. Tutum ſuccedit iter, termino præfixo apto. Bene ſuccedit expeditio negotiorum, nuncupatis auſpiciis honeſtis. Optime itur modeſto inceſſu. Senſim ſenſimque animadvertitur progreſſus. *Ex ratione expectandus ſolis conſpectus.* Errat rapide ruens ultra ſententiam. Exortis nebulis ordiri iter tenebrarum amore ruere. *Oportet revereri principium exiguis auſpiciis.* Non ajunt ranæ, affirmant nudo garritu: agunt tectæ ſtagnis. Murmurant voce rauca. Affine inſtitutum nullo oraculo mentis. Extra rationem eſt cœnum. Minus videt reſpiciens auroram tenebroſam. *Amictus caligine videt fucum.* Tardus eſt ſucceſſus ex dubiis urentibus. Lumen, *animi præſentia.* Mens vertit nubes obvias. Judicium nutans, indicium propoſiti obtenebrati. Non intueri adverſa ſapit rationis exercitium verſum. Subinde explorare infidelitatem tramitis, juvat diſcere negotii venuſti magnitudinem. *Ex ambiguitate inexplicabiles tricæ. Nihil exitioſius inconſtantia conſilii. Scientia nodorum optime conſulit.* Oraculum modeſtiæ, ſinceritatis, integritatis, navitatis, animum indicat tranquillum. *Scire impedimenta, refert honeſti curam. Negotium judicii alma notitia veri.* Tempeſtas in via illuvies limi. Lutum uberesque bullæ explent ſemitam, viamque inviam ſiſtunt: odium, invidia, probra, obtrectationes, contumeliæ, exprobrationes, nugantur, inquietis variis generibus. Novit animus ſagax ſordes iniquitatis, truculentiam audaciæ; trucis inimicitiæ, rancoris, execrabilia veſtigia. *Mavult vir integer tacere, ſilentio exprobationes tegere.* Neſcit integritas ſerpentibus innatum virus. Gaudent nequitia angues: ſibilant, mittunt venenum: riget os, lingua obmuteſcit, tegitur ſilentio oris profeſſio: amica taciturnitas eſt inſtar tegminis ſecuri. *Inhibetur recti honos contentione. Invidia vim quærit.* Tonitru nubes emovet, ripæ exundant; diffluunt viæ amnibus. Errores rapiunt & concutiunt, ſcientia inclinat humum. Lubrica eſt voluntas, exorbitat ratio, invita tacet. *Vehit mala, indoles ubique querula.* Juvat ſcire exorituras anſas contentionum. Exordia neſcire indignationis generat indeſinentes lites, ardore candente. Tenduntur nocumentis venantium retia, erumpunt venabula, ruunt beſtiæ: oppilantur inſontes lepuſculi. Inhiant baſiliſci amicorum capitibus. Induſtriæ laquei plectuntur. Subvenit conſpiratio excors. Nexibus implicata mens agit inconſtanter, ſimulate, effeminate, languide, cunctanter, cavet exceſſum. Melius aliquantulum ſubſiſtere, reſpicere eventura. *Validius judicium notitia virtutum.* Secedere extra dumeta rectæ orbitæ ſuadent. *Maxime valet robur animi in negotiis obviis:* memoria evidentia recordatur exercitia congrua. *Mirifice vegetatur ratio amicis monitis.* Inſuſurrare, ſuggerere, ſuadere, infundit ſomnio lucem, aperit faciem. Trahimus ex monitis uſum notitiæ: ominamur integritati nexum juſtitiæ. *Pollicetur optio magnum uſum rebus ambiguis.* Tendimus lubentes verſus terminum ſerenum. Ambigui in tramite incauti rapiuntur extra paſſus mentis integræ, *impoſtura tegit nebulas*, & molitur artes, truces, ſubdolas, exitioſas, terribiles. In voce *obſervantiæ* noxa. Terribilis eſt *ſervitutis* indicium *reverentiæ* exiſtimatio. Titulus, *ego veſter.* Inſidiatur lingua, inficiatur tacite ſinceritatem animi, inſidiis tectis. Nullum animi robur officiis neglectis.

glectis. *Gratiæ immemor manſuetudini valedicit.* *Incautis tendiculas nectit, opifex fraudum.*
Exitioſæ artes linguæ obſequioſæ: Habent colorem ſuavem amicitiæ, intus rapaces argutiæ.
Tendiculæ in dictione, eloquio, reſponſione, exceptione, admonitione, hortatione. *Sine inſi-*
*diis nihil. Vniverſalis machina mendacium ornatum comtumque.* Servitus una blanditiis imbuta,
nihil minus obſequio. Turpe eſt agere nutu veri. Solertiæ eſt ludere, alludere, deludere: op-
portuna ſuavia ſimulata. *In technis robur oris mentisque.* Superbit elegantia nugarum, magi-
ſterium oſtentationis. Eſt nepotum imitari majorum imagines rigido concentu, ſimili impo-
nendi diſciplina. *Eſt nequitia in ſinu.* Rus ubique templi nomine. Ex rure elementa con-
cordiæ. Sciunt armenta pabula ſua. Victitant boves inertes. Vnus quæſtuoſus animus.
Inhiare rapinis animalibus datum, in raptu illorum vita. *Turba non vivit ratione, agit temu-*
*lenter.* Novit artes locupletandi plebs. Aucupia inſtitutionis tela. Nationum & gentium
natura inſidias ſtruere in torquenda rota oris manuumque. Machinari unum rationis opus.
Bona rapere, aufferre, artificii. Vafrities opus navitatis. Stolidus, oblitus laqueorum. Lu-
dificare expeditio concinna. Nihil agere candide. Infringere nervos æſtimationis in tota
ſocietate, integerrima regula honeſtæ converſationis. Jus ſimultatis infractum. Dolus agen-
di regulæ. Agere paraſitum, agere rabulam, tutum ſolersque conſilium expediendi. Econ-
trario *animi tranquillitas, ſinceritas, integritas, modeſtia, obſervantia, humanitatis tributa. Tem-*
*perantia & ſobrietas, commodorum origo munificentiſſima.* Eſt animi temperies ſolis imago: tene-
bræ obſervantur conſpectu ſolis. Tranquilliſſima indoles virtutis, decentiſſima naturæ imago.
Malum vitat, legum expertus valorem. *Ex virtute quæſtus munificentiſſimus.* Vſus rerum am-
pliſſimus legum vim meditari. Magnifica virtutis ſtamina. *Multo uberrimus reditus, animus*
*manſuetus, modeſtus, verecundus, ſerenus.* Mollitur voluntas notitia eventus nobilis exercitæ ve-
nuſtatis. Manſuetudo viri mirificum juvamen ſucceſſuum ſperatorum. In concione orator,
rationis trutina admota, integra enunciat, ingenua rationibus adſtruit, benevole refellit argu-
menta barbariei. Eſt amicitiæ munus monere verſatos ſocios, docere opportune viros quos-
cunque. *Ex rhetoris ore tenemus argumenta rationis, explicat probe munia juſtitiæ.* Magna vis
rectæ orationis, concinne inſtituti temperati ſermonis. Abſit loquela oſtentabunda. Honos
concionis ſapientis. *Magna viri induſtria, cum judicio loqui.* Eloquium fluit nativa integrita-
te ex rotundo ordine. Temperat verecundia autoritatem. *Metimur verum rationibus auto-*
*ris.* Intelligere texturam narrationis, eſt tenere notitiam eloquii ſolertis. *Ornatus theatri*
*amœnus nuncius veri.* Templum refert orbis faciem numinis intuitu. Obſecrare docendo,
redintegrare admonendo, benigniſſimum munus oratoris longanimi. Emendat commode vox
decora, ſermo ingenuus, manſueta inſtitutio. Rhetoricæ principiis moderata inſignis oratio
divinitatem refert actione bona. *Tonus nativæ venuſtatis robur elocutionis. Sermo clavis efficacior vo-*
*cis naturali intenſione.* Inquit male ſermo inconcinnus. Noſtræ aures intelligunt temperiem
ſoni. Judicium reveretur honeſtam conſonantiam. Exempla numinum juſti modulaminis
oratores. Nox monotonia; Ex nocte in gratiam auroræ, religioſi rhetoris arte fandi. *Mul-*
*tum valet regere aures judicii nutu, ope modulationis eruditæ, reverendæ, extra clamorem.* Modeſtia
viribus rationum admiranda. Tribuimus autoritatem comitati, venerabili facundiæ. Tene-
mur & molliter verſamur tinnitu aurium manſueto, gratioſo, ornato, decoro. *Molliſſima vir-*
*tutis rudimenta obruuntur duritie invehentis.* Rigidam roſtratam orationem horret multitudo,
efferum impetum ridet: amat benevolentiam, reveretur animi benignitatem. *Amat natura*
*amorem;* gratia admodum placet. Mundus, eruditus, reverens orator, imago rationis tener-
rimæ, eloquii temperantia. *Ambo theatrum virtutis. Convincit eloquium ſincerum. Veritas tem-*
*plum nitidiſſimum.* Ex vero & juſto robur orbis. Integritas totum ſuffulcit judicium. Rationis tru-
tina actionis lances. Vniverſa cohærent emaculata ſinceritate. Eſt amor legis orbis honos,
compages ſocietatis. *Amor virtutis orbis novus.*

Scr. d. 23. Febr. 1740.

Sunt veteres rationis tutores, experientiæ præſidio: Præſtat experientia traditione, rationis
uſu ſuſpenſo. Suſpicit veritas rationis effata veneranda, eloquia ſevera.

## *In ſeptimum typographiæ ſeculum, ab a. 2040. ad annum 2140. quo ingenuarum literarum arva lætius curanda.*

### 4. Rationis diſciplina. Ἱπποδρόμιος, חמה, Junius.

*Animi thronus integritas, templum erecta ratio, regnum juſtitia.* Scientia veri bonum in-
comparabile. Gratia auguſtum beneficium. Manſuetudo aurum. *Miranda vera virtus, tran-*
*quillitas incolumis reipublicæ.* Sinceritas ingens lumen ortu ſolis. Aurora teſtis confeſtim ex-
orituræ lucis. Generoſa eſt natura, ſuavis, venuſta, ſerena. Reſpice ortum, rationis pervides
auroram. *Ratio, veri cura.* Juvat meminiſſe initii. *Natura amat tranquillitatem, incolumi-*
*tatem, venuſtatem.* Totus orbis pacatus nubium ornatu. Non eſt decus nitidius in excelſa
domo,

domo, exſplendeſcente ſerenitate. *Eſt ratio auguſta curia, illuſtre regium tribunal, ſedes cognitionis eminens. Animus in ſolio evecto lucet clarius cunctis elementis.* Animus tranquillus incognita cognoſcit: immenſurabilia lancibus ponderat. Mens intuetur ſuperiora, veriſſima bona: intimos templi emetitur receſſus. *Olympus rationi proprius.* Summi vertices, bonum ipſum. Tantum jus rationis. Eſt tranquilliſſima animi temperies, intemeratæ rationis exercitium. *Mundus* eſt tentorium commune amœniſſimum, univerſale tegmen concordiæ, elegantiſſimæ lucis generatio. Ex nocte, mane vultus reſpicit orbem. Miramur innumeras res prominentes. Mens videt rerum opificia pulcherrima: orbem contemplatur ſolis juſſu. Præſidium ejus, *temporis* eſt *menſura.* Veris reverendiſſima theatra ad polum. Exhibet ſambitus mundi ipſummet rutilans cœlum, aſtris lucidiſſimis. Excellit ambitio illuſtriſſimorum ſiderum: Ex lumine colligitur compages eorum. *Sol* orat, loquitur, oſtendit totius ſyſtematis ordinem. *Planetis* auguſtum tenebrarum ſolium, obſcuritatis palladium. Ex anguſtiis *Mercurius* itinerum rector primarius. Eunt ad horizontem, expectant auroram, mox inquiunt ſoli ſurge, impera glorioſiſſime, regimini adde lucem. Ovat *Jupiter* tacite inter tot *ſatellites.* Regit extrema parte vetuſtiſſimus *Saturnus. Mars, Venus,* rutilansque *amica imperans nocti,* orbem moderantur. Effulget regnum experientiſſimum, candidiſſimum, auguſtiſſimum, ſummum; Orbis imperium, regimen urentium *ſiderum, concilium vaſtiſſimorum luminum. Temporis emetiendi artem* norunt in circulo immenſurabilis fabricæ. Intelligunt numeros, regulas, artis computandi. Multifarium uſum tantorum agminum, mundi gradibus ordinibusque differentium, metiri, videatur *rationis opus. Scrutatur opificia ratio, explorat menſuram, uſum, numerum.* Moti videatur ratio, oſtentorum tantorum intuitu: dolet, *notitiam originis condi, non intelligi. Tentat & menſurando videt nihil obtineri.* In nubibus incedere, polum obſidere. Ambulat ratio ultra terminos *lucis, videt caliginem. In mundi initiis, negotiis, artificiis, opificiis, ratio prona ſubmittit vultum:* mavult ſuam ignorantiam naturalem aſſerere in textura, ſubſtantia, indole, regimine. Hæret cognitio. Eſt denegatum viſui, attendere rerum fundum. *Mundus ultra terminos noſtræ experientiæ.* Preſſa ratio & ſubmiſſa. *Terram* itidem inſpicere datum. Emetitur ratio molem, & reperit exulem veritatem, latitudinis veſtigia perpendit, nec invenit. Semitas videt magnitudinis, ſigna indagat altitudinis: dubitat. Vtraque india terret. Exorti ſinus vaſtiſſimorum marium, ſyrtes jubent neſcire Americanarum gentium ambitum permagnum. Termini abſunt rationi explorati: *Vltimi fines ſunt inviſibiles, vorticum legibus utriusque poli. Tanta ignorantia geographiæ eſt documentum exilii rationis.* Minus *elementorum* textæ *viæ* terræ imis venis. Reperimus & ſpectamus mineralia. Exploramus rationem operandi. *Invenit ratio voragines dubiorum.* A capite ad imas radices judicium ſubtractum. Senſus ajunt, neſcimus indolem. Terram effodimus, telluris ignoramus vim animamque. Nemo indagavit *mentium internos limites,* eminentiſſimos *orbis ſcopulos imosque.* Diſſimulandæ arteriæ *rivorum,* armenta *piſcium.* Secamus, comedimus & abſumimus, ignoramus ſubſtantiam. Extorres, *lepores, cervi, capri,* exenterantur, intima latent: *luxui* inſervit cella. Edimus *beſtias,* medullas ignoramus. Mens vacat cognitione. Sortes eruere *terra natorum,* exprobrare rationem arbitris phyſicis. Examinare auſi innumeras *ſtirpes,* eximias legerunt, ceteræ catervæ exilio. Superſunt omnia libranda, libanda: inveſtigandus ſenſus univerſorum: majora indagare ratio prohibet. Omnia ignota, tecta, cognitioni veræ denegata. Effodiuntur ſcrobes *metallorum,* uſus reperitur, ornatus videtur, eſſentiæ abeſt memoria. Ingens rubinorum pretium, magnatum uſu, terra novit eorum proſapiam: ratio effatur: *Satis, eſt auri voraciſſimus quæſtus.* Examinamus arguti *plantarum* menſuram, ortum poſtponimus. Eſt aliquid, naturam rimari, externo tenore. Satis colorem effigiaſſe. Repertus odor, liquorum auſpiciis veſtigata quæſita ſalubritas. Ex tantis agminibus tantillum inventum: *reſtant genera extra terminos numero infinito.* In minimis initium nimis anguſtum. Obvia ruſpari permiſſum. *Superſunt in tempeſtuoſis nubibus, elementis, maribus, obſcuris montibus, infinita, exploratu reliqua.* Eſt aliquid, *naturæ* attendiſſe *inſtituta, terminus* ſupereſt *immenſi roboris, homo,* caput ſupremum vaſtiſſimorum bonorum. In noſtra membra opera noſtra inenarrabilis contentionis, in ſecando truncandoque explicanda. In repertis amnibus rivisque, ex cordis lacubus vegetandum ſanguine corpus exiſtimatum. *Spiritus ubi impulſus, rude obvium corpus. Excellens regimen anatomiæ. Tecta ubi mens? Munus ubi mentis? Invita neſcit anatomia. Manum animus declinat: Novaculam experiri recuſat. Reliquum onus hominis.* Supra vires *botanicorum,* indoles diſciplinis efformata. *Parcunt medici obeuntis conſcientiæ.* Tutum exercitium ſolvendi implicita ligamenta, venis conſultis; negotium in viſceribus. Enarrare latebras lacunasque innumerorum *morborum.* Manus accuſant naturæ invidiam, corporis imbecillitatem, fibras inculpant, nervos, renes, apertum cerebrum; nubes in thorace imo, in biviis arteriarum. Anima in tendinibus nusquam. Exiſtit tota inſenſibilis natura. Exanimis orbis parvus. *Mens viva, ratio, opus naturæ auguſtum,* in tota ſectione inanis regula. Halavit cultiſſima anima. Vna nox exemit genium, naturæ inſtinctum. *Sectio* invidæ naturæ

E index

index finalis. Tantundem eſt ſomnus, ubi deeſt orandi modus. Senſuum uſus luxatus, laxo
vulnere naturæ. Mentis uſus, veritatis trutina, judicii regula, tribunal edictorum, manus ve-
ſtigantes relinquit: os tacet, vigor trutinandi abeſt, tempus ſermocinandi mutum. *Unum ro-
bur oris neſcire rationem*, evaſerunt tenebræ ſciendi cultura: evanuit elegantia doctrinæ, neſci-
viſſe videatur. Talis natura venerandæ rationis. *Animi regimen excuſſum.* Noſſe eruditi ge-
nii effigiem debebant. Aſt rationem oderunt innumeri viri, qui ejus nobilem libertatem exu-
erunt, urſis, apris, jumentis, roſtratis armentis pares. Sordes, injuriæ, expilationes, naturæ
infrunitæ, luxatæ, laſcivæ, opera, propudia. Animus a tramite aberrans, facinorum fabrica-
tor, effrons, turbulentus, exſors affectus legitimi. *Vitiis commaculato animo ratio obiit.* Animi
indoles non molleſcere, otiari, ſegneſcere. *Torpor eſt ſignum excuſſæ naturæ.* Otium in ſemitis
juſtitiæ, vitium. *Neſcit inertiam mens vegeta.* Tempeſtiva aſſiſtit fortuna, efficiendo ala-
criter. *Integritas ſuadet effugere lentorem. Cunctatio caret effectu. Ex ambiguitate moralia in-
terdum rationem premunt.* Expungit ratio brevi vitium genii uſu labantis. *Dedecet ordinem
vitii quæſtus.* Excuſat ratio ordinem interruptum, poſtpoſita ratione *vitio temporis, ubi turpia
non exiſtimantur, vulgari exercitio.* Eſt *regula opinionum*, idem tentare, ſuperiorum exemplo.
Nullus obex honeſto niſi in vulgo. *Tollit legem vulgus contemptu. Animus redditur otio inſice-
tus:* Ratio expeditioni tribuit exercitii diligentiam. *Tolle navitatem, uliginoſa ratio.* Exſerta
ſedulitate alitur uſus egregius. *Molleſcunt vires in torpore.* Non eſt genii ſubſidere, induere
ruris conditionem, agreſti lolio, urticis: *mens inculta ſordet.* Ager tribulos numerat. Eſt maſ-
ſa una naturæ otioſæ, marcor. *Anſa tantæ calamitatis, aſperæ fortunæ, ſopor in neglecta inſtitu-
tione.* Mens otium negat: in nugis adoleſcere, infici triſtibus ſordibus. In rugarum horrore ca-
ligo. *Educatio abjecta vehit querimonias.* Tota natura vult *rationis exercitium. Sine præcepto luget
uſus.* Confert *ſedula inſtitutio* tentamina integræ virtutis. *Nihil incultæ terræ emolumenti. Lan-
guida educatio ulceroſa. In incuuabilis res animi, rationis elementa.* Maturrime eſt tentandum.
Ægritudo, languor, otium, dilatio, idem ſunt. *Intereſt rationis, ex nativitatis exordiis generari.*
Infans vult ornari. Naſcitur infans, turget adoleſcens. *Niſi infantia manſuefiat, oberrat bru-
ta adoleſcentia.* Molles viribus infantiæ tendines: Non eſt grave aptare legibus. Orditur di-
cere infans. Solertiæ eſt recentes aptare pedes. *Sine initiatione ire negatum.* Molliſſime ob-
tegendæ ſoleæ. Suſtinentur articuli in talis. Niſi erigantur tali neſcit erecte ſtare. Tanti
*nanciſci uſum rationis.* Elementorum ſuus uſus. Regendi tali, bene ordinandi. *Ex arte in-
fans ſtat.* Ex ligamentis crurum compages, excedit alias inceſſus. Titubant, inclinant crura.
Stare neſcit infans. Imbecilles tali armandi, roborandi. Uſum gradiendi juvant faſciæ. (gän-
geln.) In ligulis infans totus. *Standi, ſurgendi conatus, ex inſtitutione. Robur ex uſu.* Agili-
tas inceſſus tendinum notat armaturam. Res ordinis non generationis *incedere.* Senſim
crepundiæ excidunt. *Sedere aſſuefactionis.* Tenet infantem digna nutrix. *Omnia conſuetudi-
nis.* Nunc incipit cadere. Aſſurgere ſine adjumento denegatum. *Non exercitium minus ele-
vandæ rationis.* Tenenda & ducenda nutibus venuſtis. *Salva inſtitutio legitima, ubique cre-
pundiis opus. Mens vult regulas ordinis.* Leges, leges invocat, nititur inſurgere. Anima in-
fantis nomen *matris.* Os animum clamat, in ſinu ingemiſcit, halat plorando. *Similis eruditio-
nis textura. Oportet prompte matureque ordiri conformationem.* Nos orimur nondum imbuti.
*Tempeſtivum ambit ratio uſum. Genii integritas formanda, juſtis legibus illiganda.* Tempus ſibi
tribuit negotium eruderandi. *Ratio eſt paranda, adornanda, conſtruenda.* Neglectus, ortus ne-
quitiæ. Mens valet labore informandi. Tarde ſuccedit manſuefactio urſæ. *Ratio obbruteſcit
laſſitudine:* obruit torpor ſollicitudinem: obſtruuntur profectus abſtinentia. *Tarditas exſtin-
guit inchoatam telam. Suſcitanda inſtitutione ratio. Humanitatis cultura inſtruentis vigilantiam
quærit.* Vitium trahit connivendi exceſſus. Facile eſt degenerare. *Sollicitam informationem
natura optat. Intellectus totus innititur notitiæ. Genius oratione componitur, doctrina efficit ſcien-
tiam.* Animi incolumitas tenetur integritate *locutionis. Animo male, inſtitutione mulieris.* Igna-
via naſcitur, animi nato otio. *Nihil intelligit veri, qui in luxu adoleſcit. Temperanter nutri-
ri vult ratio, erudiendo, ſermocinando, corroborando, urgendo, docendo, obſervando, ratiocinando.*
Tradita non intelliguntur, mente in ſimpulis. *Natura expoſcit ſobrietatem: mens amat mundi-
tiem.* Ratio ornanda, formanda. Mens vacua, rationis ambitus inanis, *niſi oratio* monitis ex-
pleat receſſus extimos. *Caret mens agnitione, niſi ratio excitetur tempeſtivo ſinceroque conſilio.*
Excidit menti eodem momento ratio ordinis formoſi, ex defectu ſollicitæ informationis. *Re-
ctam educationem temnit excors vulgus.* Ignorantia menſura ſocietatis. Inſcitia audit diſcipli-
na. Vulgi judicium tranquillitatis exilium. In magnis ſocietatibus intereſt nihil agnoſcere.
*Grex armentaque plebs. Seduli eruditi tenentur nebulas excutere. Plebs rudiat, eruditi ſapiant.* In
vulgo oves. *Nec ovibus ſapientiores innumeri docti. Abeſt ratio abeſt prudentia.* Optio volvitur
ordine nullo. Nubila inſtitutione, infrunitum vulgus *querulum. Malum univerſitatis trahi ani-
mum fraudibus.* Imperitia munus ſuſcipit imbuendi: negligentia agit incorrigibili tarditate: ſo-

por

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id361897952/20
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

por inſtillat ruſtica hiſpida commenta. *Miſerendum vulgi.* Minus judicii ſciolis, ſomnolenter inſtitutis, toto ſenſu imbecillioribus, rudioribus, tardioribus. Doctrina oblivio ubi quæritur. Stulto ore loquitur vulgus. Cantat inertia turbata rationis artes. *Erudiri avet natura, aut in tenebris ſerpit. Jus rationis habere conſcientiam. In expeditione diſcimus inſtitutionis fidem. Trepidus & exanimis animus, naturæ juribus repetendis, temtis conſcientiæ officiis.* Didiciſſe tædet naturæ vim rationis arbitrio. Mens riget obſeratis foribus. *Servamur, ovante conſcientia.* Inſcitia ſubit inferos, horrente pectore. *Onus naturæ obſequium ſenſuum.* Militat uſus rationis, oppugnat beſtiarum ronchos & voces. *Officium conſcientiæ integræ ſcire, intelligere humanitatis præſidia.* Opus rationis proſpicere. Servitus imperitiæ. *Turba conſcientiæ expers.* Libertas, legum exercitium. *Torpor nihil intelligit: Nihil otium novit.* Servitus in pravitate omni. Ruditas tenetur terrore. Evadunt ſenſus inquieti, humanitate tacente. *In millenis ſtultitia caput expeditionis.* Agit expedite ratio, exercitio tenaci, ex agnitione rerum præclariſſimarum. Inſuſurrat ſcientia ſemper rationes gerendi optima, reſtat pergere. Trames non vult ſomnia. *Metiri uſum doctrinæ opus magnum:* Didiciſſe admodum religioſum. Extra tramitem ire, viribus nocet. *Egredi, tendere, advertere, diſpicere, negotia exiſtunt conſcientiæ, ordinem doctæ.* Expedit, *tentare aliquando tacite*, juſſu rationis gravi. Et tegere neceſſarium, inſidiis imminentibus. *Multa ſaluberrima intermittenda, noxiis anguibus ingenti tumultu ſtrepentibus.* Indicit ratio *humilitatis curam.* Alta reverenda, & verenda nimia inſolentia. *Sufferendæ emotæ tempeſtates.* Rumpuntur excelſæ petræ, ſaxa cadunt. Excelſa tenere neſciunt eminentem ſedem. *Strobili evertunt immobiles cedros, ilices.* Hiems tempeſtuoſa inflectit munimenta. Subito obruentes lapides opprimunt terræ ſegetes: opplet pluvia agros. Tragicæ emotiones malitiæ, verſutiæ, turbarum, ſannionum. *Jubet ratio humilitati conſulere.* Decet veteri proditores, apparitores. Tranquillitas & ex vento quærit opem. *Eſt durandum.* Animus in concitatis imbribus agit demiſſe. *Vndis jugum imponitur longanimitate.* In turbinibus ſtandum, magna voluntatis *conſtantia.* Tempori ſerviendum attente. Affirmat ratio: Vides corvos, mitte, volent vultures: tutum, cavere eloquium. Facit fumum ardor. Typhones, efferi, immites, miteſcunt. Intempeſtæ noctes auroram cogitantes urentem horizontem deſiderant. Amœno ſolis intuitu lætantur. Lucis invidia carent. Eſt benevolentia molibus imbrium: Ex aquis uberrimus quæſtus. *Intereſt tacere, ubi concilium eſt ſerpentum.* Manus emungit naſum: os trahit auram levem pulmonibus. Trahunt nubes ventos: Rationis effatum, *grandinibus etiam lex: Abeunt in guttas.* In tectis ſtrepunt; Exſpirant, ubi exiſtere apparent. Candet in tonitru aura; repente canit oracula ſol. *Silentium in lingua oraculum rationis optimum maximum.* Eſt antris immenſus hiatus, probra oſtia, ſuſurri obtuſi lapides. In hydris prunæ; effuſo rivo accendunt, veneni quantitate. *Veritas ſociata virtuti ſedat incompoſitos turbines.* Veritatem tuetur ratio invicta: virtutem munit effigies numinis. In mente orbis humanitatis. Eſt rationis eminens caput ſupra orbis polum. *Mundus veritate virtuteque orbis novus.* Maximæ vires mentis, ſupra immenſum nubium apparatum. In templis ſimulacra imagines rationis. *Humi cœlum.* Suprema imis temperata, alta ſubmiſſis. Tenentur numina vera ratione. Ex terrigenis ratio evehit verſus deos. *Animus major immenſis numinibus antiquorum.* Amittit natura robur, extincto tenore ſcientiæ, conſcientiæ, exercitii, animi. Mutatur rationis ordo, facultas mentis vileſcit, rapida expeditione rerum. *Meliorem uſum indulget lex, avide rapere vetat. Truculenta aviditas naturam torquet.* Excutit mentis uſum, rationem alienat. *Caret juſtitia ſordidus. Inhiat hiatu pando opibus; ruminat prædam.* Metitur uſus ſuos noxis. Emulgent ſanguinem truces. Niſi vaga rapina exercitium ſenſuum. Rationis orbita, tollere, exigere, demere, macerare, venari. *Negotii integritas raptus: gratia expilatio: reddere exhaurire penitus.* Nequitia innocentia: amicitia nudus aſtus. Integritas tanta ſenſuum, in rationis hara. Conſpiratio, aviditatis voluptas, orbita nanciſcendi. Tribuere electionem alteri, capere interim ambo. *Deludere unicus juſtitiæ apparatus. Raptus evertit tranquillitatem.* Eſt vulturis aviculas invadere. Nec muſcæ obliviſcuntur exſugere. Nanciſci eſt privare, eſt denudare. Nomen *utilitatis* maximi uſus, tegitur nomen amœnius *furti.* Nihil integrum, tutum, ſartum. Eſt decus, omnia volupe quærere. Ordo naturæ onus ſenſuum. Milvi vorant cadavera, officio venatorum. *Optime nota retia evectis tribunalibus.* Sciunt capere, exuere, os repletum plumis, ſanguine. *Evadunt trophæa nupera effata rapinæ.* Eſt aquilarum hæreditarium ſanctum jus, invadere, trahere, necare aviculas. Truces ſunt belluæ viri ſordidi. *Nullum jus evidentius venatione, quod jus belli.* Vim tantam neſcit aptare ratio. Experientiæ tenaciſſimum opus, *poſſe.* Eſt rationis ex pernicie arrigere caput. *Miſer animus notitia anguſtæ juſtitiæ;* Tribuli ſunt in ratione: horret conſcientia, culpa eſt nigra: Mens vacat cognitione. In animo deliquium. Vſus judicii minutulus. Exulat rationis candor: exortæ nebulæ. Mens valet tempore. Nunc eſt memor animus teſtati ſtatuti, ex tempore mutatur vultus. Virtus obvia nulla. *Concidit educatio, nec ſupereſt valor tempeſtivæ eruditionis.* Vſus contrarius eſt neceſſarius. In tractan-

do invenit ratio experimentum præcepti. *Mens imminet experientiæ.* Notitia aſſertæ legis peplo involuta. Conformandum judicium his titulis, illis muneribus. Jus legis, jus temporis ſolvendi. Temporis eſt, eventum videre quæſitum. Operis eſt ducere animum. Intereſt rationis, actionis noſſe greſſus, inſiſtere, ſtare, verti, ſedere, reverti, ordiri, repetere priora. Major uſus rerum, effatum reverentius. Minor uſus, ratio agit cautius. In arbitrio decus veri juſtique. *In ſocietate ratio eſt verſatilis, non obligata, conſtricta.* Sibi ipſi novit artes, mutandi, obſervandi, redintegrandi. Temporis eſt, ſtatutis inhærere, convellere, eliminare, arctare, repetere, gravare. Satis conſcientiæ, ex ſpecie, effectu, rationis texere arbitrium. Proficuum eſt armamentarium juſtitiæ. Succeſſus ex lege commodi. *Cura emolumenti expediendæ actionis, mentis juſtæ regula prima.*

Scr. in acad. Jul. 1740. d. 24. & 25. Febr. *die intercalari & Matthiæ.*

Subingerere in rebus arduis labores, animi conſilium recti: eſt tranquillitatis neſcire impedimenta. Integritas novit terriculamenta: Experta reticet conſilia adverſa. Lætatur animus rectus inſtitutis ſobriis.

*In æſtu jubilei typographiæ ſæva bruma in fontibus:* nec *Matthias* fregit, ſed intendit & auxit. *Scaturigines*, antea inſpectæ, *hodie tectæ*, timent aperiri, meticuloſæ. Malunt ardore tegi torvæ hiemis, *aquis ſuſpectis. Satis, aliquando inhiaſſe humori*, tempeſtas terret, alveus metuit. *Matthias æſtuat*, tonat trux hiems, *incumbunt aquis ſaxa. Simſon adesdum, impera horrori, tolle tegmina amnium moleſtiſſima. Simſon inquit:* Mutæ ſcaturigines, oblivioni natæ: Non omnia ſcire mundi intereſt ſomnolenti. Sciant integritatem, modeſtiam, ſobrietatem, operandi navitatem. *Non oportet ſcire myſteria inexplicabilia ſenſibus.* Satis intellexiſſe manſuetudinem, ſolertiam, ornatumque negotiorum. *Salus civitatis ex legibus.* Animi magni eſt reipublicæ præſidium. Voluntasne ſuprema illius lex? Vivere populum opus principis. *Servatis validis legibus augetur ſalus. Sine auxilio legum venundatur ſalus populi. Oportet plebem vincire legibus.* Imis ſumma vertuntur, poſthabito repagulo. Enormem malitiam averruncat lex, exilio, carcere, ſupplicio. Sine coërcitione eſt licentia arbitrium miſeriæ. *Effrenis ruit plebs.* Vitia ſuppeditant illis luxum, voluptatem, procacitatem, opprobria, pugnas, ſocordiam, violentiam, laſciviam, aſtutiam, ſanguinem. *Vndas urit infandus rigor. Tacere ratio appareat*, glacies ebullire negat. Exſpirat in nive elegans natura. Horret, elinguis: Impenſe deſiderat effari neceſſaria: tacere ſuadet urens rigor. Tacent amnes, undæ fugiunt: *fontes exulant. Vndis negata dulcedo, bruma rigida inſpicere negat.* Glacies & nives efferæ immorituros nos eſſe nunciant. *Commendant hoſpitibus rationis igniculos, ſpiritus temperiem, emundatam notitiam veritatis virtutisque.* Integritatis eſt dijudicare errores rigidos. *Omnium intereſt timere infidum tramitem ſuperſtitionis.* Rivi exhibent pontes: undæ ſuccumbunt. *Opertæ maſſa ſcaturigines:* jucundi neſciuntur amnes. Ima timent ſtagna. Imperat rivis horror. *Conglaciatum os rivis prohibitis.* Solis expectandus tepor, *nive obtectis fontibus*, immani borea urente. Satis eſt torpori, noſſe, obturatos fontes minime aperiri vanis querimoniis tenebrarum. *Non agnoſcit vulgus limpidiſſimos fontes, ſorbet undas inquinatas:* tribuit jus commentariis aperiendi lacunas. *Vulgo conducit exhaurire ſtagna.* Siti urgente benignum inviſimus *torrentem.* Nos oblectant *fontes.* Nive infeſta, *ſcaturigines* exinaniri infeliciter contingit. Affert lapides gelu. *Scaturigo exhauſta igne* ceſſat. Affert liquorem gratia. Grando liqueſcit, aqua conglaciata in eluvionem ſolvitnr. Glacie liquefacta, *arva* congaudere incipiunt. *Exſpectat ſpes imbres, ne fontes operti negent telluri innata beneficia, vegetando ſolum.*

## *In octavum typographiæ ſeculum, ab a. 2140. ad a. 2240. quo infucatarum literarum arva curatius colenda.*

### 5. Animi tranquillitas, πανέμιος אב Julius.

*Tranquillitas, numinis vice, res eſt præſtantiſſima, ex orbe cælorum. Eſt res animi.* Tota incomprehenſibilis univerſitas niſi *in motu.* Volvitur totum latum vaſtumque cœlum. *In motu immenſus naturæ ambitus.* Deſidia abeſt. Effulgent *aſtra*, torquentur ex hoſpitio primo. Ortus recto progreſſu. Ingrediuntur lineam: initio ſuccedit curſus. Exire eſt converti verſus locum. Migrant, unde greſſus extremos legerant. Eorum trames non excedit debitum. *Extra circulum currere abhorrent. Ad principium motus ordine priori.* Motus unus rectus, ambitus idem; *Negotium omnium moveri & redire:* Exire, currere, ex termino reverti ad principium. Statutum curſus expeditiſſimi. *Agi, moveri, in ſummo cælo, actio magnifica.* Summa volvuntur: trames eſt, vehi ſedulo & redire, auguſtiſſimo circulo, juſtis auſpiciis, decentiſſimis vicibus innumeris. Ipſi videmus *temporis initia tribui ſoli, ex decurſu. Injunxit natura unum motum, motum orbicularem concinnum.* Volvi ſolem, noſtri experiuntur ſenſus. Tantiſper ſequimur experientiam: Et corpus immenſum ſtetne intra horizontem proprium, eſt res examinis prolixi. Ampliſſimum cœlum ſolem incolere tenebimus: Noverimus eum moveri, volvi,

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/22 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

vi, noto orbiculari motu. Semper juſta zona ſua vehitur tranquille. Eſt vehiculum nubium invariabile. Attamen repetit oblique curſum, exemplo dramatis. Ex anguſtis cancellls, in rectiſſimum orbem. *Tranquilliſſime exit, honorificentiſſime redit. Agit in via magnificentiſſime vorſum prorſum.* Obtinet congruentiſſimum ſcopum, tenaciſſime efficiendi maxima. *Vehitur ſurſum, nunc etiam ſenſim deſcendit.* Ardet, ardorem remittit, exercitio veris, autumni. Nihilominus unum agit in revolutione orbis. Tropus ſolſtitii in hybernis, tropus etiam æquinoctii. *Inclinat gradibus obliquis.* Lucet orbi, nunc orbem recreat humaniſſimo *calore. Mundus vivit rota,* orbis tenetur progreſſu, immutabili reditu cœlum ſervatur. *Sol in reditu beneficentiſſimus.* Ex nebulis & tenebris noctis, juſtiſſimo curſu, *vehit honorificentiſſimum diem.* Affert ſerenitatis uſum, beneficiis incomparabilibus. *Terræ infert prolem, auræ calorem, ſegeti incrementa.* Humum ſeminibus conſitam exhilarat: tonat, & terram vegetat. Mulctat ventos, terret ortos turbines. *Menſium exactiſſimo numero ordineque in zodiaco imperat notis greſſibus, obviis comitibus.* Molliſſime *amat dulcidulam jucundam lunam.* Ovat ſociæ munditie, venuſtate, reverentia oris, capitis inclinatione. Amor devinctiſſimus utriusque, inexplicabilis manſuetudo. Volunt regere orbem throno ſereniſſimo, vultu tranquilliſſimo, exercitio venuſtiſſimo. *Motu utriusque rectiſſimo orbis totus ſentit illorum munera uberrima. Rotundus orbis tripudiat præſidio illorum.* Rivis Cinthiæ ſol dat ardorem. *Tempeſtiviſſimum illorum ſtudium indicere menſes, deducere annos.* Menſibus annisque univerſorum qualitas naſcitur, erigitur, vertitur quodcunque: Sumus, vivimus, nutrimur, evehimur, tenemur, conſiſtimus, augeſcimus, humectamur. Servatur calor in venis: Sufflaminatur vigor in negotiis. *Eſt generatio in luna in tempeſtiviſſimo ſole.* Illi validiſſimi Quirites. Moventur, ut removeant, ornent, vegetent, augeant, opulentiſſimis radiis præluceant. *Sidera,* volumina belliſſima, *inerrantium nomine, in motu,* ordine notabili. Avidiſſime currunt in auguſta baſilica ampliſſimi cœli; Convexum attentiſſime metiuntur. Ampliſſima theatra luminum univerſo mundo. Averſo ſuo reditu accedunt *planetæ,* ſervatis ſuis initiis congruis, itineribus rectis, ordine temperato, ſerie juſta honorifica. *Satellites* in regia benevolentiſſimi, juvant libentiſſime. *Nulla in ſervitute illiberalitas.* Communis illorum familia in throni negotiis. Orbibus præſident ſolis imagine. Nihil ornatius motu illorum ſolertiſſimo. Agunt indeſinenter rectiſſime, ordiuntur, terminant, ſcintillant illuſtri habitu, honore triumphali, urunt religioſiſſime. In nubibus *aſtra cetera,* receſſibus ignota hactenus Agunt juſta religioſitate officia tecta, ſuis impenetrabilibus hoſpitiis. *Moventur volumine rotæ ordine communi,* in theatro nubium *affixa* cœlo, motu unius compagis. Immota tantopere, natura agilia curſu. Superiores orbes conſpicui in actione: beati actione concitata, curſu aut motu. *Sunt orbes, volvuntur proni, irrevocabili curſu. Emetiuntur ambages reciprocas planetæ.* Satis, officium cœli in nullo otio, luminum immenſurabilis bonitas, admirabilis blandities. *Scire eſt revereri uſum luminum, planetarum, ſiderum, orbium, conſtellationum; illorum* diſciplina integra, vera, adhuc deſideratur. Tenemus eorum blandimenta. *Aſpicimus halones, ſolem obſervatum.* Moventur interim, ſine ſenſu inquietudinis. Conſpirant univerſa ad pacem. Sunt unius propoſiti, redeunt ordine conſtanti. *Moventur ut redeant, omnia motu libero.* Anteeunt, ſequuntur, præeunt & nunciant. In motu ortum notamus, & ambiendi inſitam regulam. *Agunt hi comites ac ſatellites tranquille.* Sufficit *in tranquillitate agi feliciſſime.* Motus validus, regulæ obſervantiſſimus, exactiſſimus, amœniſſimus, blandiſſimus, admirabili conſonantia cum aliis machinis. *Experimur dona eorum tempeſtiviſſima:* regunt aërem, parant ſecundas cauſas elementorum. Amnes, maria, ignes, ſimplicia compoſitaque, apparatus. *Microcoſmus ſumus, audimus. Idem revera agimus, habemus, curamus. Animus ſolem teſtatur.* Eſt animæ cupido in amœnis baſiiis ardens *cinthia. Cupimus, animus moderatur.* Eſt amor innatus regimini opportuno throni ſolis. *In homine ſol, judicium, habet thronum,* in machinis niveæ incaleſcentis *lunæ. Eſt imperium nativum animo, ducit ſobrie voluntatem, toto orbe tranquillo. Molimina voluntatis regit animus, tenet expertus habenas.* Poſcit ordinem; regulam proponit motus, ut regulis obſervatis habeat exercitium neceſſarium. In motu orbitam notat, agere caute jubet, admonet benevole, adhortatur comiter, conſulit admodum manſuete. *Exaudit luna & inclareſcit.* Habet Cinthia ex ſolis thalamis elegantiam. *Cupido animæ animum implorat: Mentis eſt regere & imperare.* Non juvat temnere effata. Tanta nobilitas animi, temperie cœli & poteſtate ſolis. Abſente regimine, occubuit præſidium. *Mentis eſt temperare munia voluntatis.* Rota orbis ex arbitrio boni adminiſtratoris. *Cinthius Cinthiaque amore mutuo: Ducit animus animam. Regitur virtute luna pallida.* Modo velit voluntas effata audire. Ex amica Cinthii indulgentia nanciſcitur ornatum luna. Imbecillis balbutit anima balba. Senſus in triviis actionum titubant: Invehitur voluntas in thronum. Propulſat animus contumaciam. Dictat animus animæ temperantiam. Lumen ultra menſis medium exilius rutilat: obtinuit temporis uſum anguſtum. Tunc nove uſitata convivia ſol offert novis gratiæ auſpiciis. Magnus animus imbecilli animæ ſpem exhibet ad majus incrementum ſurgendi. Suavem inſpirat confidentia vigorem auſpiciis parvis. Ex anguſtiis imis animum ſol ele-



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id361897952/23
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

vat. Erat *nulla imago, menſe veluto, lunæ.* Offertur voluntati nutus ingenuus. *Miteſcit voluntas, temperatur ſano conſilio. Eſt tempus novilunio. Orditur concordia menſem.* Abierat luna, aderat pallida, motu viſa carere: accepit initium recens; in ſolio ſolis animæ motus. Vrit imbecillis luna indulgente ſole, conſenſu exactiſſimo. Tranquillitas ſobria ordine poli. *Ratio voluntatem tenet, jubet benevole, exhortatur benigne, edocet decenter.* Ex affectuum impetu ſuccumbit ordo judicii. Eſt regimen opus prudentiæ. *Mentis eſt, turbare inferiorum conſpirationem.* Infelix fortuna judicii, temtis numeris oraculorum præeuntium. Ex affectu judicat caput luxatum. Inhibendum hiſpidum conſilium. Judicii decus negare voluntati bellum in rationem. Obniti monſtroſum. Superior indeſinenter ſol. Obſcuretur, mendacium *eclipſis.* Non impeditur munimen orbis. *Nobis mentitur viſus.* Inter menſuram oculorum noſtrorum orbis (lunæ.) *Ratio eodem tramite videatur exerceri denſa maſſa voluntatis turbulentæ. Oriuntur tenebræ. Carnis inſidiæ ſopiunt, obnubunt judicium.* Tenebræ noctis ex machina. *Animus turbatur carnis arrogantis faſcino.* Inſidiæ naturæ animalis tumultuantur, imperio mentis inimicæ. Lumen obfuſcatur ſolis, obnupta ratione ex impoſtura hoſtili. Implicatur laqueis pectus, mente exturbata throno. *Obortis voluptatibus quiritatur nativum* judicium. *Occultis dolis oſtenta* ſeductricis carnis: excidit nutus judicii. In ipſius cœli inſtitutis non infringitur pars effulgens. Oculi intuentur tegumentum. Abſunt rationis rectæ arma penetrantia. *Epulæ, pocula, oris ſalus, inhibent temperiem rationis. Os ſorbet effata conſcientiæ. In diſco nihil judicii.* Officio laborum, labitur effluitque bene judicandi libertas. Exuit arrogantia virum ſuo officio inſpiciendi. In ſimultate injuriæ naturæ adverſantes. Tegit verſutia bellum, inimicum rationi. Technæ ſervitutem imponunt dignoſcendi ſtudio. *Vſus boni judicii retibus trahitur molliei, in carcerem emancipatur deliciarum.* Oraculis voluntas detrahit. Res eſt periculi. *Tuta juſtitia, ſi non oblationes negarent animo regnum.* Rixæ exſpirarent truces, modo violentia coerceretur. *Animus laqueis utilitatis conſtringitur.* Expilandi ſtudium. Animus tacet ligatus: vox muteſcit, trutina ſubſidit, ori parcendum. *Voluntas tendicula, neſcit exire volucris excors.* Occulunt rationem emolumentorum ſtrues. Sarmenta conſanguinitatis excitant incendia. *In gremio amicitiæ ſerpentes.* Ex animis releganda providentia. Ratio arida, truncus, ſtipes, nutrimentum ignis. Abeſt tranquillitas, alma naturæ nutrix. *Inquietudo curarum nexus, ordinis convulſio.* In bello omnia concidunt, abſente integritate. Tumulus ratio ex faſcino. *Malitiæ expers tenet animum.* Tranquillitas eſt animi templum, effigie numinis. *Ex mendacio omne nocumentum. Sapit virtus benevola.* In bonitate rectæ vires tranquillitatis. *Ex vitio turbæ infinitæ.* Simultas eſt veneno quocunque mordacior. Virulentia rectum animum exſtinguit. Subit virtus bellum: vitium bellum infert rationi. Tempeſtates minantur judicii conſtantiæ exilium. Defetiſcit ordo, vanum decus, extra dignitatem actio. Lumen unum mentis, robur oraculi firmi. *Immenſurabile bonum oraculum conſcientiæ;* ait, inſtruit, impellit, teſtatur neceſſitatem, emolumentum: munimentum animi, tranquillitatis ſedes, expeditionum tegmen: molimina videt ſuſpecta, repagula, obices, valent quantivis. *Verum ſcire, virtutem exercere, unus quæſtus animi.* Ad virtutem quicquid incidat. *Dignitas negotii virtus.* Munitiſſima veritas, robur oris, honeſtatis templum, inexhauſtis myſteriis. Ore manſuetudo, animo humanitas, arbitrio rationis bonitas, aſtris ſuperiora, culmina excelſa. *Sedes integritatis tranquillitas. Numen eſt genius ſedatus.* Voluntate bona judicium nititur ingenuum. Genius integer rumpit obices. *Eſt defendenda judicii libertas.* Leges ex bello importuno liberandæ. Servitus examinis ruſticum opus judicii. Ratio aperit latebras clauſas. Suſpectas exiſtimat lances avaritiæ, inculpationis, convitiorum, explorationum, pollicitationum, ſponſionum. *Temulentia eſt ſenſuum, ex rixoſa arcana indagandi licentia, unde communis exiſtit pernities.* Ratio videt tormenta, novit uſurarum urendas quisquilias & ſcrobes, notat *immanes errores defraudandi.* Malitia undæ turbulentæ; nequitiæ everriculum mentis: avaritia tectum ſtabuli, epulatio tonſtrina. *Serpentina verſutia tranquillitatem evertit validiſſime.* Experientia nova effigies prioris. Malum vetus texit ovum turpius. *Res eveniunt propagine.* Melius undique circumciſum, initium rectioris, ornatioris tentamen, ſimile inſtituto heſterno. Sero venit præſtantius, redit obſonium conſuetum. *Timet nemo epulum, bibimus impigri, habet ſorbitio cauſam exitii.* Modicum veneni ſubingeſtum calido juſculo: Libat os riget pectus. Anguis caput in nequitioſis odii lancibus. Intra buccas alitur bellum. *Exterminatur tranquillitas animi temulenta ingurgitatione* vini. In tubis pegmata ambitioſæ contentionis. Surrepit conflictatio, exſtinguitur mentis vigor. Trahitur in diem exedens rancor. Demto animo exſurgit vetus querimonia, ſuſpirat venter. *In menſa acetum.* Hoſpes apponit rubentia bellaria. Applaudunt ſenſus: *inter caricas vitiatur lingua.* Os incidit poma, judicium convellitur: nuces jurgia, rancor pirum ambedere. Salus in triumphis. Aridæ fauces, ſiti inviſæ, lingunt. Exonerantur arctæ rates, ſilent imbres. *Evacuatur domus, implentur lances litibus. Ex bellariis infames libelli. Juſcula litigia, vinum conflictus, ſorbitio vociferatio, luxus pauperies, inquietudo volu-*



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/24 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

*ptatis quies.* Mens ambeditur dolore, virus in membris; venundatur domus, naviculæ ardent: rident exhauſta barathra. *In labris deſident aſpides*, mandantur virus reddere, *in curiis rabulæ.* Eſt procurandum momento effatum novi oraculi, inhibendo terminos ancipites: Nobis gratia, valeat pugna : *Sæpe credere eludi.* Sonant in nominibus oneroſis laxi inanes bombi, abſorptis bonis. *Male acquiſita male interierunt.* Socii convivæ oderunt rancidam proluviem. Negotioſiſſima inquietudo animi in nigerrimo omni labore. *Inter bullas animus bulla. Niſi*, in ore, in labris, in ſingultu. Canit epulum, *exi :* affirmat dolor, *vidi : i*, nunciat ira. Salus ultima halitus tumbæ. Inquietudinis monumentum. *Magnificentia venerandum inquietudinis trophæum. Otium gerit exitioſum negotium.* Ex amphoris conſcientia inquieta, nullo orto lumine. In bullis augmenta balborum: Semina in rixis rixarum, vocibus tumidis. Ex nive oriatur imber. Tranet aquam carina, ex rupe pereat, mari illiſa. Obvia rerum primordia. *Securitas vivit tempori, parcit interea recens, cadit ſubito. Mala ex gremio, ex rationis inquietudine.* Turbata progenie, inquietum generis exordium afflictum. *Mentis emotio neſcit otium halcyoniorum.* Conglomerantur emergentes nimbi, *naufragium* imminet. Excuſſam ratem operit pontus, malo eliſo. Turbines oderunt laſſos labores inhærentium remis. *Eſt tempeſtas imago rationis afflictæ, preſſæ.* Salus una honeſtatis tutela. *In millenis orbibus tempeſtatum animus fert onera, ſine otio.* Inertiæ deſidis virum pudet: odit requiem propudioſam. Ignorat halcyonia cor; aquilone oriuntur nubes. Eſt deſudandum. *Inquietiſſima vitioſa quies.* Sedere in tenebris animum notat gravatum undis. *Pungit ſenſus catarrhus emungendus.* Aer ex nubibus rapidis animus blennus, ſolvit eluvies denſam animi compagem. Tranquillitas eſt alligata malo: intimo lacunari oppleto ſabulo: orto rhombo exhalant inconſtantia halcyonia. Mare æſtuat, in ripas affluunt tabulæ, ubi bona? It ratio tempeſtate. Tantl *inconſtantia.* Docet judicium, dictat doctrina, exonerare rationem mole aquarum. Non juvat tenere ſolſtitium: æſtus laxat animum puſillum. Orta halcyonia confeſtim exſtinguunt nubes. Opus ſole. *Ex aere catarrhus.* Obit veneranda quies. *Mentis exilium catarrhus :* Eſt negotii detergere. *Animum tenet invicta virtus, agit tranquille : Lumen videt ſolis.* Novit inquietudinis exordia. Agit integre, ſincere, obſervanter, juſte: mittit audaciam, hoſtilitatem, contentionem: odit horridas curas : effata novit ordine, diſtinguit ancipitia, urget quietem. *Ex genio erecto rationis inſtituta, tuta, probata, integra, generoſa, eximia, admiranda.* Eſt notus ordo honeſti, congrui, egregii, nativi. Munditiem vehit conſtanter, oſtendit verum, inculcat tutum, ſubminiſtrat evidens, pollicetur munera expetitæ tranquillitatis. Non in otio, luxu, lite, extra bellum. Nunquam infideliter, ſemper vere. *Temperat animus tempeſtates ſerenitatis ſpe.* Vrant tempeſtuoſi ſtrobili, venti adſpirant favonii. Nihil infauſto ſtrepitu, ignito genio, enormibus ronchis. Expungit arma inſidiarum, ſopit odia inſidiatorum. Invidiam invidet rectis. Bona expendit optimis. Non inſidet ventoſæ ſollicitudini, curis emaciandus. *Solerter evitat rancorem.* Inhæret humanitati. Conciliat amicos, oſtendit noxas. Reddit emolumenta. Ter iterumque liberat, inflectit, mitigat inconditos ſuſurros. *Temperantia nutrit vires rationis.* Ex decore integerrima dictamina. *Emaculata emundataque elocutio, numinis ornatus.* Integritas tegmen amoris. Religioſa erogatio bonorum in libertatem exſolvendam animi. Jus ſuum omnibus indigenis, opem reverenter petentibus. Alienigenis univerſis ſua. Animi labes vitat cordate. Agit res opportune. Munit veritatem ſeveris rationibus. Imam humilitatem tuetur naviter: addit decus *innocentia.* Magnis efficiendis deſignat nuncios, virtutis eloquia: nugis imprecatur. Ait integra, neceſſaria, amœna, honeſta, proficua, elegantia, ſobria, tuta. Temperies eſt menſura viæ, humanitas compita. *Æquitas negotiorum examen.* Truculentiam averſatur, torva eloquia amandat. Amantiſſimam vovet quietem omnibus. *Libertas linguæ ex bonis oraculis.* Tenaciſſimum juſtitiæ nomen. Infracta firmitas expeditionis ambitus. In ſocietate officia impenſa. Exordium recti opportuni propoſiti mens erecta, temperata, ſagax, vegeta, tolerans. *Parat indoles recta conſilia ſerena.* Suſpicionibus vale longum. Libertas eloquii boni indicina licita. *Incomparabilis virtutis quies.* Oratori volupe loqui alma, ſalutaria, memoranda, vera, reverenda, elegantiæ tenacia, illibata. *Aliquantulum indulgentiæ ſacratum*, opinando, indagando, examinando, appendendo honorem tribuendo ingeniis comtis, ſolertibus. *Tolerantia* non veretur ruborem erroris: defendit, non exprobrat: *tenet natura offenſa cautionem.* Minacem voluntatem terret præceptum inviolabile: graſſantem exorbitantemque abſtrahit. Subitos ventos ſubigit ratio exſertis verbis. *Eſt tempeſtivum neſcire exprobrationes triviales.* Rugæ & verrucæ obſervari nolunt. Nec acclamantes catelli eliduntur, nec odio digni. Seges uredinem ſentit: ſementem exſpectat ſequentem benigniorem. Obliviſcitur ſol imbrium hibernorum, tenent interim canales. Syrraxes aëris ſuam imbribus menſuram infundunt: loquuntur obtuſo ſono, obicem repudiant, eunt in hyberna. Obloquitur lingua vulgi, populo offenſo, plebe mota. Vulgus clamat; ſilentium ait. *I*, ſis, odi injurias: Eſt reprimendum os, premendum manu. Eſt tacendum, oportet ultro quieſcere.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/25 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Minatur enormiter gangræna, exſecta repit: Mature vult reſcindi, adhibitis habenis tenſis infeſtis, chirurgi ſolertis. Mala uſu ſerpentia requirunt indaginem hami. Tangi nolunt adulta damna. Incidere rapidus error poſcit. *Eſt animi inculpatum ſtudium, odiſſe inficeta:* ex recto obicem ponere mendis, extricare tricas: ſolerter inveſtigare media, juſſa rationis præſtandi, miniſterio judicii. *Minus agit negligentia:* Imam tenet ſedem excors arbitrium. *Leges amat prudentia.* Nava ingenua induſtria novit indicia melioris excolendi genii. Juvat, conſcientiam invigilare honori. Timeat incuria crudam ſervitutem. *Illiberalis libertas legis excutere beneficia. Orbita gloriæ animus melioribus intentus.* In inviis via uſum laſſat, in divortiis ambiguitas ſtupet. Vna frons firma intuetur difficultates, ſolvit evolutos rhombos. *Superbit virtus bono jure, triumpho negotiorum egregiorum.* Veritas quietem experta ſpondet. Tranquillitas exultat, ovat, tripudiat. *Nihil in univerſis quiete excellentius. Tenet imperium pacis arbitrium.* Concinunt ſingula in luce. Libertas eſt boni. Juvat labor ſerenus, os elutum, ſermo expeditus. *Neceſſe eſt genio non indulgere.*

Scr. in acad. Jul. a. 1740. d. 26-29. Febr.

Res, eſt deſiderii noſſe antiquitatis ſemitas: caret examen lucis auſpiciis. Abſente lumine exſpirat cognitio. Serenus aër novit diei emolumenta rutilantia.

### In ſæva bruma ſpes alit *agricolas*. Solvet *imber* glaciem in fontibus.

*Antiquitatis imagines* lumina in univerſo immenſurabili cœlo. *Terra* & auguſtum *cœlum* imagines locupletiſſimorum bonorum *uſus publici.* Domini & ſubditi arva colunt, illi ſervi, iſti heri. *Populus* terra, excelſus aër *thronus*. Ambo vivunt in republica. Nubes obſervant negotia. *Nox* opacæque *nebulæ*, publicæ rei inſortunatus vultus. *Atræ tenebræ*, adverſitas, & truculentus *populi* habitus, impetuoſum *ſuperiorum* imperium, calamitoſa adminiſtratio: ſubditi & domini probra ventorum. *Blanda lux* imperii concinna autoritas, elegans temperies civitatis, in venuſtis inſtitutis, legum juſtarum adminiculo. *Ante imperium legum* incorrigibile vulgus in civitate, truculentum, effrene, auſterum, captioſum. *Juſſu legum* barbaries vaſta publica debellatur & ſedatur. A capite in ſinum indoles humana. Præcepta terrent & augent *timorem*. Agit vulgus juſſu regiminis. Promoventur negotia ordine nuncupato. Vaſta ignorantia, *caligo* terribilis: obſervatus rationis inſtinctus *noctem* univerſam ſopit.

Viduati *fontes* vindice gaudebunt *imbre* Luc. 18. Eſt *rigida bruma* monſtrum immane. Tanti *notitia veri. Barbarici* effigies digna. Vndæ armatæ glacie, exempla congelati judicii. Debebamus noſſe *jus veri*, ſed extremæ tenebræ noctis operiunt fontes. *Judex* tandem audiet viduam, defendet integritatem *vindex.* Ἡ χήρα κρήνη, ἡ χήρα χαρὰ, ἡ χήρα ἐιλικρινεία, ὁλοκληρία. ὁ κρῆνος κριτὴς ἐιλικρινὴς, ὁλόκληρος, μακροθυμῶν.

*Typographia Victorinus Japhetus.* Pandet numen Japhetum, ut habitet ſub tectis ſapientum & prudentum ſcriptorum, promptiſſima paratiſſimaque ſcriptoria arte proſpere propaganda. Διαπτυξάτω ὁ τὰ λόγια τὸν Πιτυῦντα, ὅπως σκηνώσῃ ἐπ᾽ αὐλαίαις χηματισμῶν ταχιγραφίας. ὁ θεὸς δίκαιος κριτὴς ἐκδικήσει ἐν τάχει, ταχύ. Luc. 18, 8. יפת אלהים ליפת *Typographia pateat.*

*Solvi inciſura ſæva vult ægritudo.* Lex chirurgi, medici, vulnerare, incidendo, truncando. Neceſſarium officium *fontibus ſalutis* utile. Benigna inciſura removendo obſtacula. Fontes non inſpiciuntur, ſeris oſtio inductis: Debet reſcindi oſtium, Gordii ſi oppilaverint duri obſtinatique nodi. Oportet removere rudera ex foribus. *Antiquitas conſulit expedite ſymbolis repaguliſve, effigies declarando.* Neceſſaria Alexandri ſors. *Confertiſſimæ effigies lumina antiquitatis.*

### *In nonum typographiæ ſeculum. ab a.* 2240. *ad annum* 2340. *quo dulciſſimarum literarum arva ſollicitius colenda.*

### 6. Animus fraudis expers, Λῶος, אלול Auguſtus.

*Agenti ſalutare, cavere infidelitatem fortunæ.* Eſt animi recta progredi. Tendere neſcit ultra ſcopum. *Integra conſcientia rationem admonet modeſtiæ.* Submiſſum judicium non neſcit animi habenas, orationis jugum. *Sobria indoles mentis inhibet rudem pruriginem mentiendi.* In mendacio veritatis reconditæ oblivio. *Inſida locutio arrogantis.* Mutat verum, regulas affirmandi, leges orandi. Tolluntur, ſubticet integritas, pulſum emaculatum judicium. Tuta nunquam ori regula fallendi. Animus non invenit metam obviorum nodorum. *Simulare*, jus naturæ nobile. *Amat hamos oratio implicita: inſunt retia.* Trames eſt plenus inſidiarum. Benevolentia objurgat confidentiam. Affirmare inficiari. Excuſare accuſare. Dictum videatur indictum. *Adulatio tendicula. Plaudere, indicium rationis captioſæ. Subſannat interius decorans nimium.* Elogium intime nigrum. *Gratia initium ſervitutis.* Nihil in ſermone ultra bullas. In nubibus imbres. Montes obteguntur nive. *Simulationis imago nix evaneſcens.* Improviſo liqueſcit, abit. *Modus venuſtus deludendi, oratio mendax.* Efferre rem extra nubes, indubi-

dubitatum teſtimonium excedentis reverentiæ. Superbit in loquendo os tumidum, ſurgit oratio polum, augendo merita. Vltra ſortem in ventum. *Multum valet temperata lingua.* Vltra ſtellas non oneranda commendatio. Temperies egregia aëris, temperanter illicit. *Salſius os eloquio acuto detrahit.* Vndique inſperſæ tendiculæ excedunt ſalibus. Enormiter tinnit nugacitas & garritus. Ridere eſt tenerrimæ naturæ. Interim ſatyris innata blandities rodit occulte. Suſpectus internus rancor. Ex tenebris eruere ventos, ſollicitudinis. Vndique involucra tegunt orantis telam. Mentiuntur vaſtæ laudes, palpum manus exonerant, ſatyræ carpunt enormiter, deludunt artes inſidioſe ſimulandi. *Vſitatior regnat voluptas probri, mancipare expeditiones ſuſpicionibus.* Argutia detrahendi nectit anſam culpandi. In laqueis plicæ. Serviunt capturæ. *Elabi ex retibus ambiguum.* Nulla ars inſidiis trucior ſiniſtris inculpationibus. Refert honorem corripi. Navis in oceano, lingua in temulentis ſuſurris. *Os continua inculpatione hirudo.* Turget ingeſto mucore. Integerrimus lupus obſervat tempus ſomni. Oves pulſu abigit. *Orbis totus ſtrophæ, inexplicabilia retia, honeſti carceres.* Mellita undique cera. Inflatur tibia vento: Circulo implicatur ſerpens. Limus in hirundinum inficetis nidis. Rumpit vomer terram. In gramine inquieti limaces, lumbrici ex tellure: nubecula in oculo. Lardo linere integrum. Eximiæ nymphæ in ſyringibus. *Typhones ſati ex turbinibus.* Obices, peſſuli in conclavibus. Solenniſſima obvia nequitiæ genera, occulte compoſita. Eſt calliditatis inſtrumenta noſſe vafritiei. Sunt veteratores promi operis condi. Sciunt multas venas rubras oſtenti Lernæi, os tumet ſulphure orci, Plutonis adminiſtri. Turbant & inferi tubicines. Serpentes in ripis, hortis, canalibus: orbis vertumni: quadrupedes ſatyri: complices excetrarum. Animus in roſtris, os lupi, gula tauri. Egregia ſoboles onocrotalorum: neceſſarii onuſtarum harpyarum. In mari Sirenes, immanes necis autores, incantando, tinniendo, ſibilando, in rupibus honorificentiſſime canendo. Sempiterna veſtigia inſidiarum, truculentiæ orbitæ tectæ. Serpentes ardent, turbant ſtrobili, urunt nubes, exedunt venena. Jugiter complicant, innodant, hydræ tragicæ. Indeſinenter mulcent, illaqueando laqueis: in triviis ſatyri: Ex aviculis venuſtæ querquedulæ. Oppugnat imperitia decus veritatis, technas ſtruit tumor. Exitium excidiumque recti, optio. Mors amara in roſtro: Ambæ palmæ expanſæ urentes quercus, incenſis termitibus: Caput ex rubetis, inteſtina nata ovis baſiliſcorum. Jurgia ratio, eloquium vafrities, nutus inſidiæ, interpellatio exprobratio, dictum mendacium, edictum negatio, juramentum garritus, aſſeveratio mollis irriſio. Dedecus animi integritas, tranquilla indoles dolus. Nudum odium concordia: juvamen, noxa. Affirmatio imprecatio tecta. Subdola, inſidioſa, rapida, hoſtilis converſatio. Suavium eſt numella, invaſio molle oſculum, honeſta incolumitas horret. Juſtitia ventus: obſervantia nugacitas. Omne decus una turpitudo: immundities toga alba, execratio benevolentia. *Tanti eruditio, ſanus animus, temperans judicium, recta exiſtimatio, proba ſententia;* Ordinaria rationis prodigalitas. Simulata, implexa, nebulis munita omnia. Opulentia, voluptas, quæſtus. Subdola compoſitio expeditionis. Sobria videatur honeſtas, plaudant manus: *Vive*, inquiat roſtrum temulenti. *Salutem* indicat turba: vinum teſtatur robur, ingluvies valorem. Tempeſtivitas ſalutis evomendæ. Acetum tingit inviolatum vinum. Subit interim tacite rigor oris, manus remittunt, artus titubant. Senſus negant incolumitatem. Sopor arrepit. Temperantia incipit minari. Acclamat lingua a! Concinunt ſingultus. Imago rationis excuſſæ. Nativa exſpiravit genii ſobrietas. In nimbis mens. Obſervatio egregii verique, querimonia. Expeditio dolor: nugæ integer ſermo. *Negotium obſervantiſſimæ fraudulentiæ.* Malitia veſtita, rationis exilium. *Libertatis encomium commendatio ſcelerum. Tanti ſapere ex ſana ratione.* Obſonio mens, obſonio virtus quæſita. Vini ſapor virtutis indoles. Convivari, juris habenas tenere. Immergi muſto, jus libaminis. Incomparabilis temperies ſorbetur. In navi naulum. Ex roſtro eminet prora, obliquat ratem puppis. Ambigua incidit tempeſtas, nutant antennæ, pavent extremi remi. Concutitur ſaburra: ingruit deſperatio. Salva imago luculenta animi. Ratio orbis machina deſes & ſubſidens. Os in tumultu, animus turbatus: uſus mentis miſellus. Agitur in tenebris: non apparet tempus ſurgendi. Blanditur voluptas, ſuadet deſidia, applaudit otium, urget quæſtus. Abit concordia, inhæret ſimultas, in hoſpitibus probra. Agitur rates tempeſtate: undique emergit naufragium. Abit temo in undas: obruitur mens ſyrtibus, in naufragio animus imbibit torvum ſoporem. In ripa humandum corpus. Nihil in cadavere niſi una nox. Sorpta ratio, obiit mens. Sepelitur obſequium. Expiravit amœnum deſiderium virtutis. In tumulo educatio, ſolers eruditio, tempeſtivus nutus emendati genii: ratio eſt terrigenarum numero inſerta. Servitus in demandatis negotiis. Virtutis monita ſuſpecta, uſu breviſſimo. In ruderibus os, in ruina pes. Nihil integri. Mens in limine orci. Vis ſuperat uſum. Tempeſtas emendationis expers: neſcit ordinem, inhiat tumultui. In nebulis genius, obſeſſus caligine. Abeſt dignum judicium, lex oblivioni ſacra. Simulata integritatis textura. *Animus, tinctus imagine recti, effert veri notitiam.* In ſole contuetur utilitatem



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/27 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

legis. Affirmat ratio eſſe verum, obſervat mentis ſuaſionem, inſignes nutus adſpicit, in tribunali ſedet. Inclinat ratio humum caditque. *Noli, inquit conſcientia, noli:* Veritatis negotium agitur in tribunali. Nulla autoritas rationis: *Oblivisci naturæ, genus improbitatis.* Eſt agendum recte: bene expedire neceſſe: eſt tenendus trames emundatus: odium gravat judicium: languor abſorbet calorem: officium molleſcit, ſenſus inertes animum deludunt, uſum judicii tollunt. Extra ordinem mens ſiniſtra, inter nubes ac grandines: *animus præceps, nititur in ſiniſtram.* Videt jus; reſpondet, *parce.* Ait jus, tene naturæ anchoram, tranquillitatem ſerva, eſt audiendum rationis præceptum. *Mens ulcerata negat ordinem. Jubet tecta conſcientia agnoſcere terminum exitumque.* Mavult vulnerata ratio ordinem mutari: diffringit effata ſolennia: Mercedis voluptas reſpicit opulentiæ prærogativam. Ratio obruta corruit. *Affirmat jus, tacite negat autoritas.* Tranquillitas ſubit bellum. Vis ſuperior. Nullum odii nomen. Abeat verum, obtineant nugæ. Agit tempeſtive injuria, violentia. Ex vano quæſtus. Eſt dedecori nomen juris. Agit turbulenter oratio temulenta. Eſt notitia oblivio. In tribunali incommodum, defendere, nutus obſervare conſcientiæ. Suum jus nimbis, jus mulctis. *Onerat humeros decus epomidis.* Suppeditat ſolium uſum bonorum: In legibus aliquis rationis valor. Tenet animum notitia ſummi imperii in tribunali. Nunc adeſt tempus ſubeundi bellum. Virtus ſolii non oblivisci numinis: agit juſta, nullis monitis obſtantibus. *Autoritas validior omnibus niſibus.* Opus mentis ſupremum, inniti nativæ autoritati. Jus tectum ſtratagematum, jus ratiocinationis, hoſtile conſilium. Nihil intereſt, temnere & opprimere, tollere, ſurripere. *Jus rapit, honore conſcientiæ.* Satis cognoviſſe effata. Supra vulgus tribunal. Jus rationis jus proprii ſpiritus. *Dignum eſt ſedatum oraculum rationis, aptum conſcientiæ, non otioſæ nec ſervili:* uſus major ſuſurris. Imbellis nimia anguſtia, imbecille tegmen ſuperſtitionis. Immitis ratio horrore conſcientiæ. *In tribunali jura litigioſa conſcientiæ. Nihil juſtius temperat numero uſuum.* Sua animis pugna, munere opimæ prædæ. *Magni uſus regula amicitiæ.* Indulgendum nonnihil optimo monito: *Effice res ex conſuetudine.* In nullo momento oblivio neceſſitudinis. In vita ſervandus uſus ſanguinis: Innocentia non rapienda ad crucem. Juvat dicere non uno modo. Subinde eſt reſpondendum ex temporis eventu. Varietas etiam delectat naturæ uſu. Abſoluti temporis computus nuncupat juſtiorem tramitem ſanciendi, judicandi, definiendi. Semper ire tramite veteri, ratio bruti. Aliter agit ratio viri. Trutinat arbitrio novi ſtatus. In nullis idem muneris onus. *Humanitatis arbitrium repetit & verſat ſuperiora.* Valent bona, invento utilitatis quæſtu. Non intereſt, ſuavior uſus veniat officio novo. *Superat uſum temporis iniquitas:* Refert inſpirari peculiari ſpiritu. Alia vetera, ornatiora nova. Subminiſtrant nova emendationem menſuræ. Minus in tranſactis, amplius in conficiendis, extra periculum ſervitutis. *Omnia recta requirunt ordinem proportionis.* Vnus tangit acu, contiguum illi filum: Innodare, nere, genii indefeſſi. *Sua juribus ligamenta:* Appendit ratio ordinis momenta. Spectare uſum jus legum arbitrarium. Servare uſum, ingenuum: negligere, exſortis genii. Agit illiberaliter libertas, amandans ſubſidia. Eſt legitimum odiſſe damnum. Non indiget damnum experientia ſedis. Agit juſte lex alendo moderatorem. Virtus non invidet. Menſura officii, habere. Apparatus juſte tenetur. Non auferenda tribunalis ſuffulcimenta. Serva valeat ſolertia, non otioſis negotiatoribus. Satis eſſe *numina in mundo ore humano. Judicium vivit ore numinum.* Adeſt ratio, ratio eſt thronus. Abeſt veritas, obiit nitor. Numina in terris & olympo, lumina exſplendeſcentia orbis communis. *Odiſſe verum, odium numinis.* Bene valent, ſi orbem ducant, non vertant mundum. *Opus virtutis opus numinis. Nota in omni lege juſtitia.* Turbatus ſermo oratoris turbato animo. *Regula virtutis, genius ingenue formatus.* Obſervant communia jura heroica theatra. *Impendentibus muneribus mens excæcatur.* Dii oderunt exceſſum. Oppugnat ratio robur ordinis, pulpitum eſt detrimentoſum, noxium, vitioſum. *Servit vulgus, theatrum auguſtum triſtius ſervit. Munus veri rationis opus.* Tollis juſtitiam, damnas beatitudinem. Verſutia ſupplantat oracula juſta. *Ratio expuncta pecudum munus induit.* Numina ignorant truculentiam, expertia juris, legum. Vulgus populatur, orbat populus. *Arbiter recti recta effata texit.* Spiret eminens judicis genius implicitas fraudes, ferox eſt. Servus eſt, non ingenuus, munus obit haræ. Regere eſt tenere negotia in ſocietate incolumia. *Nihil infortunatius, magiſtratus infido gubernaculo. Eſt rectus animus regula veri.* Gubernant inviſæ fallaciæ, jus legum expreſſarum oculatum, cœcum. *Abeſt doctrina, nuda agit natura, rem agunt bruta:* Vultures gubernant. Theatrum eſt avaritiæ domus, negotia exuendi, uſurpatio tribunalis. Juſtitia tacet, ſurda. *Numen improbum eſt numen ex belluis.* Effracta temperie animi, totum eliſum jus civitatis. *Ordine ſublato, abit nativa animi modeſtia.* Vſus humanitatis nihili. Improbus uſus ſuffurandi uſum. Inviolabilis lex inſtaurat vires, juvat cives. *Terrori eſt infringere legem.* Aberranti rationi obeſt medicina, deprimit & ſuffocat. Abit in levem auram ratio. *Vtitur tegmine animus naturali, autoritate rationis.* Obſervat proprium. *Ratio operis corona, ratio experientiæ præſidium. Animus in terra*

*numen:*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id361897952/28
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

*numen :* animus tenet ſolium, bene vult ſubjectis. Agit conſiderate, integre, ſincere, incorrupta humanitate prævia. Effatur nudam animi ſententiam, nugas odit, neſcit aſtum : Recti rectum exercitium tenet ambabus : vivit obſervantia : noctis terrores exulant. Mens vehit leges, elegans orbita concinnitas. *Munus veri vero operam navare. Tenet ſedem eminentem ſinceritas :* virtus menſura ſuprema : in negotiis animus juſtus, tenax ſereni inſtituti. *Ratio honoris culmen.* Orbis legis imperio totus ſubſiſtit. *Agit numinis autoritate ingenium,* tramite ſolis. *Jus rationis honos cœli.* Ex ratione effata, decreta, mandata. Vocat ratio ore legum, obſecrat tenore ſtatutorum. *Orat præclare animus : Tribuit elogia juſtitiæ. Tranquillitati ſubminiſtrat infractum robur. Honos concordiæ. Omnia conſonant in hymnos tono indeſinentis muſicæ.*

Scr. in acad. Jul. d. 4. Martii 1740.

Salva veritas nemine adverſante : juſtitia rigidam diſceptationem admittit.

Scientia ipſamet ignorantia, rigido animo. Tacet nubila elapſorum memoria. Memor oblivio cognitionis neceſſariæ. Immemores antiquitatis injiciunt laqueos animis negligentibus. Affectatio habet cognitionis colorem; *amicta barbaries. Sentit imperitia molem oblivionis.* Tacente memoria, veritas ridet *oblivionis torporem.* Amat taciturnitatem negligentia. Exulat mentio meliorum : *oblivio cavet notitiam.* Inconſtantia ſcrutaminis, experte rationis, evadit *notitia in cineres.*

## *In decimum typographiæ ſeculum, ab a.* 2340. *ad a.* 2440. *quo fœcundiſſimarum literarum arva conſtantius colenda.*

### 7. Emendatio animi. Αυτοκρατορικὸς תשרי ὑπερβερεταῖος אתנים September.

*Redit virtus tandem integriore genio.* Imbecillitas levatur, lubentia expediendi tenetur. Numen in mente vehit totum negotium. Eſt *melius* omnium momentum. In *melius* ſuperiora. Juvat noſſe avita. In triviis ſtamus, inhæremus rebus hodie conditis. *Memoria vetera meditatur. Intelligimus noſtra, imminemus melioribus, cum exacta novimus. Jus temporis nominat emendationem.* Melius agitur temporis ſubſidio. Eſt temporis, inſpicere vetera ortum novorum. Senſus vehuntur ſurſum, ratio expendit vetera. *Componenda exacta novis.* Eſt comparatio uſura lucis. *Jus diſtinguendi noſcitur ex comparatione.* Judicium diſcernit ſueta. *Intereſt tenere regulas avorum.* Trutinanda exacta, ut teneatur autoritas. Negotium rationis ordinem intueri dictorum, natorum, expectatorum, congruorum, incongruorum, deſideratorum, obtectorum, vulgarium, quotidianorum. Eſt niſus in ſcientia : Mutatur uſus rerum. *Animus indiget libra in melioribus appendendis.* Facilius eſt ſejungere res ex penſiculatione. Innovare, tenorem novum elicere indiget rationis ope. *Magnitudo uſus conſtat intuitu hiſtoriæ temporis.* In majorum moliminibus uſus lancium. Illi tenuerunt ſua, addenda dein noſtra. *Accienda in conſilium nupera.* Vetera notant eventus exordia. Repetere acta neceſſe, antequam inſtituatur tribunal. Superiora initium rerum hodie contingentium. Noſſe, *initium eſt, ſequitur ſollicite expendere.* Minime valet tritum, antequam valuiſſe reperiatur. Extra ſcientiam ſeculorum, ordine longorum, olim textorum, ſuperflua oppoſitorum penſiculatio. *Aliter tunc et modo.* Vetera tunc ſuperiora, inferiora recentiora hodie comperta. Res evadunt ponderis. Trames ex veteri quantitate invenit latitudinem. *Omnia in divortio.* Vnum trahit ſequentia. Juſta trutina confert exacta recentibus. *Omnis modulus in ſimili.* Senſim idem, ſenſim novum, ex præteritis menſura inſequentium. Tritum eſt ambiguum, jam tenendum novum. Alia tunc ſcientia & alia reverentia præteritorum. Ignorato tempore antiquo, deeſt notitia veterum memorabilium expeditionum. *Intelligitur jus conſuetudine.* Invenitur decus vetuſtatis indicio. *Ex longa orbis doctrina noſcuntur ingenia.* Superiora imagines noſtrorum. Initium minorum indicium grandium. *Eſt reperire, tentaſſe explorare.* Ex antiquis tutus index virtutis. Ante notitiam ortus, bona omnia ruſpanda probe. *Mutare vetuſta tempus admonet.* Tunc ſentiebant ſic, illa nunc intelliguntur melius. *Ordo habet menſuram ex longo arbitrio.* Res omnes mutabiles. Diſtinguere eſt ſcire. Judicium reſpicit ancipitium naturam : Gentes, indoles, ſtatus, expeditio diverſa. Jam ducimus nova veteribus meliora : Sic jam intelligimus temperantiora noſtris antiqua. Tempus ſubmovet brevi veterum ſancita ; nunc ignoramus. *Servare eſt repetere. Sententia amat cauſas. Indago* ſciſcitatur illa ; hæc priſtina, non opere nudo, *trutinat* illorum *cauſas. Sine expenſis cauſis veterum lux exigua. Emendatio tentat nexum omnium.* Prioribus ſpretis, exulat ſeria rerum exactarum penſiculatio. *Exercemus nota, originem ignoramus.* Tenemus noſtra, exciderunt meliora. *Intereſt reſtituere texturam ſolidam.* Vetera legitima lapſa inertiæ ſtudio. *Ignorantia boni rumpit ordinem.* Innatus veteribus ordo notabilis, amiſſus vix quæritur. Sancita concinniſſima excidunt. *Virtutem tuetur lex, veritatem cauſæ. Spernitur integritas, temnitur virtus : tacet ratio, ignoratur veritas. Omnia volvuntur ordine neceſſario.* Olim res pacatæ : ſtatutæ juſtæ leges : addidit ratio ordinis memoriam. *Dignoſcendæ emendationis ſcaturigines. Serio verſandæ cauſæ inſtitutorum. Scientias juvat hiſtoriæ*

*peritia.* Neſcimus optimorum nexum. *Surrepta negotia bona, rota oblivionis.* Scientiæ valent temporis indulgentia. *Dicere negatum, obmuteſcentibus cauſis. Melius vero mendacium:* Scientia iniqua. Neſcire amœnum. Indago timorem ſuadet. Jubet ratio hærere, conticeſcere. Ruditas eruditio. Præſtat ſilentium. *Veritas vult obnubilari, neſciri.* Vultum tegere arbitrium tenebrarum: Somnia ſopitis: juvant ronchi. Emolumentum noctis emetiri gravedinem. In nebulis animus, mens volvitur humi. Odit ſopor rationem: Eludendi vis imperioſa. *Dicendo ſomniare volupe. Balbuties in barbarie.* Rite orat ſomnus: vagæ blandiuntur imagines: Reſpondet os in rigore: plumæ affirmant. Eſt noctis amare lunam, planetas: ortus vovet oblivionem noctis, oblivio veri quærit ſcientiam. Conſonat examen. Eruditio, radiorum opus: noctis oſtium horror. *Tramitem explorare veri, ſuperat uſum.* Sermocinandi jus, tacendi uſus. *Taciturnitas rationis invicta virtus.* Obloquitur ruſticus: effutit Corydon. *Neſcire jus ſolenne: obliviſci regula publica.* Mentionem veri induere, doctrinæ veneratio. *Tegere ſtultitiam ſecurum.* Verborum turba juris rivi, in piſciculis ſapor. Tumet eloquium in minimis. In negotiis animi mutire venuſtum. *Veritatem imitatur virtus.* Somnus eſt gratiæ alimentum. Brevis memoria animi. Montes videt ratio, aſſurgentes in nubes. Olim memores erant rerum exactarum: Cum ſeculis auſum tranquillius tegere præterita & neſcire inventa. Senſus agunt uſu: lapides, fluvii, rationis expertia, perſeverant. *Viſa ſuperflua autoritas rationis. Tenemur irrefragabili concilio opinionum.* Satis recenſuiſſe effata veterum. *Nobis incumbit emendatio.* Nos indigemus doctrina robuſtiore, ordinatiore. Opus medicina ſenſibus, judicio, navitati. *Animi imperium tenet ſolium. Inexplicabile regnum humanitatis conditæ.* Non indormiendum opinioni. Doctrina intuetur primas veri conditiones. *Satis inclytis nationibus, relationi avorum credere.* Diffidentia eſt ſcrutari. Arma rationis, vulgata credulitas. Suſpirat incorrupta traditio, velle tentari, rationi inimicum videatur. Temerarium eſt imputare judicio culpam indaginis deſertæ. Viſa irrefragabilia, inimitabilia, majorum inſtituta, negato arbitrio. *Nos orbes novi, ex tritis adulti, tuti imitatione.* Res breviter expediuntur læto exercitio conſueto. *Mentis vigor interit non agendo.* Natura jubet meliora veſtigare: *Ratio adhortatur indagare nova, obſervata memorare, expromere rectiora, emendatiora curare.* Nobis injuncta mundiora. *Virtus reſuſcitanda.* Oracula explicanda, augenda dilucidioribus. *Uſus infantum, tenere eundem modum vagiendi.* Incunabula temperant nutricum eundem garritum. Similis ubique bellus jubilus: balatum repetunt oves. Stridor unus balbus in rivis oloribus. in roſtris plumisque nugæ innatæ. Servire inhærere traditis. Nulla eſt gens ejusdem artis, nobiliora auſpicati, majora, venuſtiora, honeſtiora. Eædem arbores ſemper, radices eædem, valent, infrugiferæ nihil valent, mox exſcinduntur. Turres altæ tandem inclinant lapſu. Linquit jugum villicus quadratus. Non æterni rabulæ tribunalis, terrentur, & morte exſolvunt tributum. Veritas longiorem avet ſalutem, notitiæ incrementa. Abeunt tenebræ, adeſt dies. Non valet *ſuperſtitio* ſempiterna: *Eſt propudioſa eruditio, deſtinata undis, abripiatur, repleta fraudibus.* Tandem eſt attendendum integrius tempus. Ignorantia vetus, quercus excidium novit. *Imperitia, non manere obligata.* Menſa varia juſcula deſiderat, unum tædio. *Studia ſciunt incrementa.* Tenet vagitus terminum. Rus imminet veri. Et anchora retrahitur ex undis. Mundus ulterioribus tribuit auſpicia. Contrahit veritas fucum, niſi innovetur, depurgetur, amiciatur. Turba in deterius, eruditio dignius. *Sine emendatione rumpuntur ipſæ viæ, trames evadit mucor:* ambigui timent inire viatores. In univerſo tecto jus reſtaurationis. Intra parietes ſcopæ. Telæ etiam obviæ manus invitant, necatis araneis. Tellus imprecatur vomeri ex lentore & deſidia. Aratris novis indiget cultura. Suum agri funus metuunt, ubi rus alit inertiam. Nec omittit molitor examen rotarum & curſus. Tempus indicit ſomno compedes: Neceſſe imponere terminum: *Surgendi cauſa exiſtit.* Macerat animum mollities, invocat natura ardorem. *Incipiendum miſereri ſortis imbecillis. Agitur ſalus ipſiusmet rationis, ambit humanitas progreſſum.* Conſulit autoritas integri mundi, ſuperioris, inferioris. Adeſt dies vitæ in terra & in mundo ſuperiori: in nubibus accumulata gratia. Annuit polus, manſuetis elementis. *Non obeſt judicio tempus, ingenio tempus ſuppetit.* Res eſt propinqua ultra ſpem. Senſus vident ſuosmet uſus. *Stare in limine, ignorare bonum.* Animus cupit ingredi delubra emundatæ mentis. Mundum judicium templum eſt ſuperbum. In rationis officiis boni odor, reficiens integrum ſyſtema naturæ emendatæ. *Mens mitis immenſæ manſuetudinis. Ardet totus orbis tenaciſſimo juſtitiæ voto, quærit munditiem. Virtutis thronus ſancta integritas. Ratio habet coronam.* Meminit emendatio regiminis optimi, ter auguſtiſſimi, veritatis regnantis & ſervantis. *Supremum jus regni ex natis elegantibus geniis.* In noſtris animis mundi venuſti hoſpitium. Tectum eſt innocentia, domus nitidiſſima unio. Major menſura effulgentis luminis. Inæſtimabilia bona amoris. Ratio eſt penu univerſæ ſapientiæ. Numerus infinitus magnificarum virtutum. Numina in veritate, nomina excellentiſſimorum geniorum. Regimen ex præſtantia. Majus univerſis incredibile gaudium in tran-

quil-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/30 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

quillitate. Superat animus faſtigia, tenet ima: gubernat imbecillitatem; tolerat tenues, allicit modeſtos; erigit depreſſos: nutantes attollit, titubantes manu vehit: miſeretur molleſcentium: vacillantes ſuſtinet, mitigat vehementes: tenet præcipites: eloquio comi retinet exorbitantes: timidis nunciat incolumitatem. Surgente veritate bene judicio. Temperies rationis anima mundi. Vovet ratio omnibus ex aſſe ſalutem, incolumitatem. Rectus animus habet pretia, ſecura, continua, optima, maxima. Sine inſtitutione tanta lumina videntur minime. *Mutari vult indoles.* Totus orbis gerit effigiem navitatis, ſolertiæ, induſtriæ. Nec orbis inſtitutorum tenacior. A machinis regendi orbis *forma educationis recta.* Mens videt ſolem, lunam, excelſum cœlum. Sidera ornant eminentiſſimas ædes: beant amiciſſima capita, conjunctiſſimo amore munita. *Ratio eſt polo conſtantior, orbe honoratior, mundo venuſtior. Tenet animus orbis habenas, comprehendit nubes immenſas. Reverenter volunt teneri nativæ anſæ. Vult retineri exercitium ſpei.* Apparet ſemita, res agitur pedum, ſurgendum, ſuſpicienda veſtigia boni, ineunda compita juſti, decori, ornati, commodi. *Mediocris virtutis, reſpirare ante tramitem.* Effatum rationis, *perge: opus recto progreſſu.* Non inchoare, eſt amittere. Via quæritur termino nobili ultimo. Ratio ait, *robore opus: Beneficia affluunt larga laboranti aſſidue.* Si incidat trepidatio, pedes in recto curſu conſervandi: Subinde in tramite lapilli urant, manus opitulantur. In diverticulo veſtigia tenenda ſecura. In notam metam orbita. *Vegeta tolerantia, lubentia, voluntas conſtans, ſunt illuſtria tramitis veſtigia.* Terreri rationi inimicum. Viperæ obrepunt, rejiciendæ pedibus. Exſtruunt veteratores qualescunque machinas, urunt rutilanti ore; ignis natus efferveſcenti genio. Militia vera, rogus os, machinæ inſidiarum nutu averruncandæ. *Mens erecta novit obſtacula infringere,* tenet animoſe machinatorem, refellit objecta, fugat efferos ronchos. Oſtendit dubia, non exterretur, læto eloquio decertat. Sint *veritatis tortores,* injiciant denſos nodos, uno fulmine oris marceſcunt. Inſimulent ſiniſtri *ſuſurrones* indigni ſtudii, oraculo inſuperabili tenendæ inficetæ turbæ. *Superat ratio & perniciſſimos urentes ſerpentes. Oris modeſtia ſternit immanes adverſarios.* Subſultent irati, rugiant, animoſo halitu propulſandi. Os recti, procella. *Invicta veritas, quocunque triumpho.* Natum vero robur. Eſt vero lumen, lampades eruditioni candentes, ſiderum claritate effulgentes. *Sophiſta videatur ex arte nugari, nugæ ad inferos. Raſtris etiam dentes.* Nugæ amant ſuos carceres, & laqueos apportant; tendiculas & ſtrophas vehunt, nigri artifices; carent rationis ingenuo honore. *Veritas dicit affabilis, reſpondet generoſe ſollicitis: in nodis oſtendit imperitam texturam.* Animus dicit: *Noli enormiter mentiri, effeminate.* In rugis oris indeſinentes tricæ, nectere & nugari idem, mentiri egregie. *Os verticillum querimoniarum.* Nihil integri. *Militaria arma rationis, veritatis temperies lumen, valor, candor.* Sine inſidiis jus caret imperio. Faciunt inſidiæ rationem cautam. Allati ſcrupuli exercent animi recti præſentiam. Mens urit rapidiſſime oppoſitam molem. Miſeretur animus roſtrorum, ex veneni eructati ſævitia. *Dulcedo admirabilis in æquitate ſententiæ.* Serenum eloquium. Subdola inimicitia miſella, in rugis palma. Minæ in machinis urentibus, rogus os, equulei arrogans dictio. Veritas inconcuſſa ſedet, efficta ridet oſtenta. *Immotum tribunal conſcientiæ, oris, doctrinæ.* Infractum theatrum animi tranquilli. In concilio ſedet, caput effatorum. Minæ in turbinem. Rhombi ex ſtrophis elapſi ad rutilantes prunas. Eſt tecta adverſus rationem cicuta, *os Socratis arridet.* Rancidum os grunnientium arcet halitu temperato *imperterritus Pythagoras. Sophiſtarum inſultus coercuerent exercitati, aperti, recti, græci.* Sophiſmatum inertiam horruit *Plato:* oderunt ſuſpectam oſtentationem *Logici*, inclyti honorificentiſſimi *Philoſophi.* Acuto opus judicio, longanimitate, ingenio ſolerti, conſilio experto. *Beneficia animi, vita, tranquillitas, ingenuitas, decus, elegantiæ, Ratio admirabilis.*

Scr in acad. Jul. d. 7. Martii 1740.

Antiqua volunt tentari. Exordia prima raro exſerte perſpiciuntur.

## *In undecimum typographiæ ſeculum, ab a. 2440. ad annum 2540. fructuoſiſſimarum literarum arva confidentius colenda.*

### 8. Animi conſtantia Δημαρχεξάγιος מרחשון φυλλοχόος בול October.

*Erecta ratio agit res graviſſimas:* In minimis maxima attingit. In regimine judicio ſuam ſedem aſſignat. Non intermittit ardua negotia juſte tractare. Servat expeditionem aptis locis. Amat propoſitum ſincerum. Conſultum exiſtimat rectam viam tenere. *Ex recto egregie geruntur omnia.* Conſpirant leges. Exacte arbitrium rationis ſentit idem. *Conſtantia eſt numinis oraculum divinum.* Obiter ſancire, eſt adverſis cedere. Tenaciter vult lex exigere virtutem. Opus tramite aſſiduo. *Valet res ex nexu.* Eſt tutum eligere orbitam ſecuram, extra ambiguitatem legis. Rigide & præſenti mente exequi ſcopum. Eſt legis expedire aperte, recte, ſincere, integre, bene. *Auſpicari a dubiis, vitii initium.* Sinceritas eſt regula tractandi, abſente regula fraudis. *Inchoat virtus quiete: media aptat digna, ultimum intuetur terminum.* Eſt mens exporrecta libera, & adverſam rumpit ſervitutem. Juſta ratio eſt templum numinis.

Inſiſtit mens veri regulæ ordinique legum. *Lex exercitium boni.* Trames & menſura virtutis, regula ordinis. In divortiis origo ſeductionis. *Eſt infucati genii inſpicere fucum fraudemque, & effugere.* Licet expendere bene ardua, tentare exacte obvia, non inniti ambitioni communi. *Emergunt difficultates, opus lancibus; libra expendit bonum.* Juſta libra examinat ambo. Conferuntur in trutina juſtiſſima libertate extrema. *Amat ratio ſententiam illibatam. Serenum os eſt ſapientis, effatum non eſt graculi.* In tribunali non eſt querquedulæ, eſt Solonis. Juſſa ſeveræ virtutis regulam tenent exactiſſimi debiti. Minus agit caute, aliquid inchoans, reliquo implicato: ſucceſſum ſperat ardor. *Militia eſt tota virtutis textura. In vitium ruit & ſervitutem mora.* Expedire liget initium mediis. Inſequi ſupereſt. Non inchoaſſe juri ſatis. Relabi eſt verſus exitum reſilire. Media vocant, meditantur ultimam horam. Non inſidet judex tribunali ad rotam eligendam: Bellum in lite agitur. Cauſa affertur, inſpicitur, tractatur, pergit judex gloſſas exaudire, arbitrari, ex teſtimoniis vocare tabulas, inquirere, volvere relata, expendere ſcripta. Subvenit cauſæ eruderandæ. Initii titulo inhærere debile. Non orant cauſidici obiter, momento, una hora: ſeculis cauſas excutiunt. Superat verum bonum, initium terminumque. *Nil agit negligentia, imbellis, miſella.* Manus una incipit, terminat idem ſecunda, communi expeditione. Tentare, eſt mutare voluntatem, juxta libitum, in ſucceſſu cura exercitii. *Momento uno tractare, linquere ulteriora, conſilii minutuli. Volventur res ordine longo, obliquo, dextrorſum, introrſum.* Trahit ſucceſſus ordine poſtrema. *Tempus ex ſucceſſu.* Veſtis bona induitur tota; non auſpiciis tegitur ruditas, omnis habitus eſt debitus. Rupta eſt tela, niſi efficiantur vela. *Quæritur effectus recto fine.* Ineptum, extendere digitum, embamma nolle intingere. Manducationem ordiri, nihil, ſaturari juvat. Totum eſt *habitus* problema, oportet repetiiſſe, pro ordine, numero, gradibus, exercitii recti. Scire, comprehendit ex multis voluminibus ingentium librorum imbibiſſe. Satisne carpſiſſe ex dicente aliquid? Molitur enſicula, tritura, raſtrum, ordinem, multis digitis admotis, Ablegatus iniens viam, ſi infidus langueat, excidit autoritate, redeat, ſero, inanis. Milesne utitur galea exordio rapinæ? Mulctram ubera replent ordine ruſtico emulgendo, tempus eſt cogendi. Turrim exſtruere, ſedere imis nudis extremis ſaxis, ſapit impotentiam. Non ordiendum modo, opus labore, abſolvendum ſtrenue. Spes vota ſuffulcit, progreſſus ambitus longi, in ultimam quietem. Adipiſci totius itineris terminum, eſt voluiſſe aggredi longum opus. Diu idem, diu alterum. Menſura vinculi longi, volvitur *pone*, ordineque *poſt*. Triumphum non videt rex ex ſabulo; conflictus varii, denæ expeditiones ſecundæ, multa vulnera, trucidatis numeroſis exercitibus, prædis raptis, exuviis ſuperbis. *Res animi*, tota ſtrue, nitidiſſimis imaginibus. *Militat armatus erectus animus.* Non æris nec auri corona. Ratio experta præliorum. Tumultuantur externi ſenſus, internique numen obſident mentis, oppugnant leges, allatrant ſtatuta animi: Indicit ratio vim carni. Nihil in mora. Virtutis regula opprimit luxum, odit dolum, inhibet inſidias, lacerat vaſta convitia, infringit fraudes: Individui rationis comites, aſſiduitas, ſinceritas, navitas, integritas, expuncta deſidia. Ex tantis negotiis animus nanciſcitur gaudium, eliſis rugis, extincto dolore. *In virtute arma dominantia.* Superat integritas turmas aſtutas verſutiæ, rancidas exprobrationes ſternit: ſerviles voluptates brutis indulget: graſſantes exceſſus ligat: nunciat integris incolumitatem: nectit gnavitatem expeditioni rectæ. Sinceritas agit tranquille, impigre, recte, graviter, expedite, tenaciter. Numen invictum. Eſt terror vis tecta in vitiis. Ratio exterminat ſervitutem: animus nititur in tutamen. Senſus invitant rationis præſidium, mulcent voluptates, componunt ſuas artes tectas in mollitiem animi. Luxuria apta capturæ. Senſibus inſevit natura minas, obtundendi, torquendi, examinandi mentem, vulnerum intuitu, tramite in ſervilis conditionis exitum. Servit ratio obruta machinis utilitatis, titulis lucri, uſus, commodi. Maſſa veneris, ruptura ordinis, lex opprobrii, dominium infelicitatis: noxa in ſinu, adverſitas triſtis in riſu: experientia probroſa, ſapientia olida, rapto pudore. Tarda eſt ſalus, orditur lenta, fugit improvida: negat greſſus efficiendi rectum. Abeſt tolerantia, induſtria ubi? Subigere virtus boum: in gregibus emulgendum lac. *Nihil incolume. Mens amens in retibus. Totus animus lactis obſonium, luctus oſtentum, dulcedinis illecebris.* Avaritia rationis tortura, judicii carcer: officium tollenonis ſcaturiginibus exhauriendis, negotioſa officina harpyarum: exercitium rapiendi, emolumentorum numero & genere. Mulctæ vitæ relevatio, obſequium meritum. Tanti expilare, exhaurire, auferre. Tanti invadere vineas, everrere domos. Æmula *auſteritas*, torva, aſpera, latrociniis ſimilis, exemplo grunnitus, & latrantis ſcrophæ inter hypochondriacos. *Sanguinolentia* in ruſticitate, odioſa ſeveritas, cuneis uſa. *Truculentia*, ex intimis tendinibus in roſtrum, amariſſima medicina, rhabarbarum. *Aſtutia*, tinctus ſerpens, nitrum: incendium, incantamentum, vulnus quietis. *Oſtentatio*, luſus, velitatio, plauſus, oſcitantia plebeja. *Traditio*, excoriatio, exoneratio, gratia erga reditus opulentos. Rauca *proditio*, obligatio nexusque genii exoleti, rapidi, nigri, informis, ſtulti, veſani, torpidi. *Aſtutum tentandi ſtudium*, decipiendi effeminata

ſcientia, meretricium virus, retia, aucupia, nodi; opus ſalvia, ruta, everſis poculis. Nuudinæ *obteſtatio*, novella ſeges, expolita rudera. *Amicitia*, teſtæ ſignatæ, uſtæ, grata undis amœnis, tortulis expenſis, apta lacticiniis, potiunculis; mel apum edulcorata *adulatio*. Venatio quies. Innocentiæ theatra concordiæ vincula; domus magnæ, vineæ, torcularia, rura, ornatiſſimi horti. Mitiſſima una mens inter Sirenes, ſerpentes, in nimbis, exercita oeſtris. Manſuetiſſimus animus nutriatur inter tauros, vulpes, lupos, excetras, vultures, milvos, urſos. Nihil gratiæ. Exſurgatne ratio damnata ad mortem? Animus non invenit tribunal ſapientiæ, emendationis, amoris. Leges ad paludes. Nigredo in ipſo candore: jus tenebrarum in luce. Exenteratus animus: ratio ſerva immortalis. In lacu univerſus populus; obbruteſcens plebs aſphaltites mare; in ſinubus ſulphur: in tempeſtate nautæ excordes: leones ubi commode, ubi laute ſatyri, ex inſidiis glires, in fortunæ favore elephantes. Omnis ſors rigida, expers virtutis, dedita affectionibus turbulentis: excuſſo ordine, ratione exule, pectore ſordido, ore rure polluto. Omnis ſollicitudo in damnis, argutiis, rapinis. Accipitrum prandia. Niſi in imis medullis; ad detrimenta apri: Vox turturum, animus taurorum: ſtrutiones ex dignitate, ſenatus veſpertilionum, lumine lælorum: Eloquium, barritus, juſculo. Liberti ſtentores ore, elephantes ſonitu, erucæ negotiis, exiſtimatione galli. Servum vulgus, denſa nox, undarum confluxus, expers ſcientiæ. Servis extorribus, totius naturæ autoritas tenetur legibus, verbis, ſcriptis, nutibus, inſtitutione, ſollicita informatione, eruditione, aſſuefactione, doctrina, uſu, judicio. Sine exercitatione, tota natura eſt genus animalium, rudium, trucium, noxiorum, obſcœnorum, crudelium. Sola inſtitutio temperat naturam, expolit genios, excitat attentionem, confert judicium, tenebris inſcitiæ liberat, erigit, allevat, rigat, ſpiritumque infundit; adminiſtrat initia gratiæ, obſervantia legum, ordine præceptorum: agendi offert rationi palmam. Exule regimine orationis, tempeſtiviſſima virtus abeſt. Solvis inſtitutionem, ſolvis ſpiritum, anima neſcia amœnæ mentis Ex rhombo opera, pro memoria emolumenti. Tota expeditio carnificina. In fronte, in talis, nihil operis præclari: oratio corvi, os draconis, animus ſylveſtris tauri. Sonus ulularum, luporum, leonum, effigie brutorum. In labris elocutio rudientium onagrorum, pro robore opimorum corporum. Ordo cantus in animalibus ſimilis ordini muſico. Nihilominus in ſenſibus una maſſa, impetus rapidus idem par. Caro in hybernis. Senſuum ordo devinctiſſimus. Omnia in rapinas. Exercitus pecudum milleni, iisdem temperamentis prædit, & ſeorſim ſeparati alia indole, varia evidenti affectione, rationis præludiis. Rationis exempla puſilla. Orbis inſtitutione textus aptior, elegantior, rectior, concinnior: a minimis incipiendo, recta progrediendo, in cauſas inquirendo, ad doctrinam virtutis, juſti, ſinceri, integri, boni. Rationis ornatu ortus homo, temperie in mente. Nava informatio animum luce luculenter illuſtravit. Corpora eadem animis humanis. Manſuefactus animus naturam immutavlt. Tanti ſollicita educatio. Acceſſerunt literæ, animi palatium. Nunc in uſu ſermonis ſuperat eruditio reverendos gradus numinum. Judicium in mente, animus humanus, arma rationis, bonum æternum, beneficium admirabile. Ornatus mentis in ſcientia, erudito genio in rationis tribunali. Omnia molimina ingenii ſubſidio eruditionis. Tradita notitia eſt genii nativitas. In recta doctrina animi venuſtiſſima quies. Ortus nobilis, nativitate auguſta. Tanta initia genii integri, temperati, negotioſi, ornati, concinni. Ex trucibus urſis tracti ingenui viri: Rugitus exſertum ſermonem addidicit. Sobrii ex immundis. Venit quies, turbis & ſtrepitibus ablatis. Tanta reverentia educationis bonæ. In literis elegantia animi, vitæ quies. Inter monſtra in terris propudioſa evulgata ſcelera. In elegantibus ingeniis dignitas rationis, animi thronus, ſolium numinis, judicii exedra. Tanti apparatus textæ integritatis, literarum luce, in virtute quæſita. Numen animus, ratio templum. In templo animi beatitudo beatiſſima, animæ ſalus. Ex imis gradibus in faſtigium frons erecta: Surſum in tecto editiſſimo. In virtute quies, omnium rerum palma. Agere juſſu rationis, orbis lumen, gloria ſcientiæ. Juſtitiæ thronus animus tranquillus. Rationis effatum, beneficium inexſtinguibilis luminis. Ex animo vividiſſimo quies. Oppido dulcis notitia animi, præceptis venuſtis compoſiti, concinnati, compti, ornati. Orbis novus, geniis excultis, ratione ordinante, regulis præceptisque mellitiſſimis. Eſt doctrinæ excelſum ſolium. Ex antris & ambagibus nativa acies naturæ, animi corona. Nunc in animo tranquillitas, rubore exule, ſerena edicendi dignitate. Ratio eſt princeps. Offert temperies profectus ingentes, gyris elegantibus actionum. Semper congruentiora eveniunt. Vtimur tempeſtive inventis, ſuccedunt convenientiora & beatiora. Accedat ſollicitior autoritas tradendi, religioſius exercitium boni, in literis allocutio melior, integrior ſcientia, ſine infanda ſuperſtitione; orbis illuſtrior, ratio oriente luce glorioſior. Conſcientia inhæret ſcientiæ. Agnitio tenet vim conſcientiæ; educatio ſancit. Minus videt ratio oblivione legum, odio diſciplinæ. Ignorantia nativo oſtio negligentiæ. Inſtitutio & doctrina menſura effigiei in genio. Ingenium fingitur formaturque exemplis. Doctrina auget. Absque temperata informatione natura eſt gleba, nigra, incondita, aſpera, nauci, ampla

maſſa udæ humi. Educatio naturæ officina, inſtitutio tribunal, aſſuefactio ratio. Solertiæ uberrima bona. Inæſtimabilis gratia ex lingua amœna, integra, recta, ordine legitimo. Gloria ſalutis. In tenebris noctis eſt genius educatione abſente. Caligo in tote judicio. *Lumen eruditio. Animus regit ſolis imagine.* Aufugiunt tenebræ, illuceſcente doctrina. Notitia origo conſcientiæ. Scire utcunque, tantillum. Scire curatius, emunctior ſenſus, ſerenius eloquium, judicium diſtinctius. Scis ultra turbam, aptior es brutis. Splendet virtus luce vegetæ conſcientiæ: Ratione invaleſcit conſcientia. Opinionum trames parum juvat. Gleba & argilla ſuſcipiunt conformando effigiem. Vti transfiguratur, ita ſeritur conſcientia. Effigiatur nux, ita manet: vis, refert ovem; terge, alitem fac. Suus voluntatis modus. In relicto rure eſt proclivitas ſuſcipiendi os rerum plurimarum, juxta uſum qualemcunque: infantem intendis, naſcetur ex gleba: juvenem nuncupas, argilla mentietur virum. Humus tamen exiſtunt. Ratio efficit imaginem faciei. Tanti voluntas. Serenior, venuſtior, blandior imago, generoſior educatio, liberalior, ſincerior, candidior, ornatior, mundior. Sola voluntas blanditur, imbecilli tentamine. Notitia ex doctrina. Educatio, conformatio, compoſitio animi. Oſtium tenet aptitudo conformantis. Officio unus melior, experientior, luculentior, officioſior, doctior, negotioſior, induſtrior. Mala adminiſtratio noxa animi, minor uſus humanitatis. Dandum aliquid ſuperiorum voluntati in ratione promovenda. Sint illuſtriores literæ, venuſtiora colloquia, animi reddentur ornatiores. Otium demit, nox evacuat: vileſcit ratio, tacente ſtudio, diſturbato auditorio. Magiſtratus eſt tueri autoritatem tradendi recti, egregii, boni, integri. Literæ non innatæ. Opus magiſtratus vultus humanus. Sciat condere ex terra vultum, linguam, elegantiam, venuſtatem. Enormitas turbæ, vitiorum trames, ignorantiæ vehiculo, refert errorem ſuperiorum. Scientia, conſcientia, exilio. *Ex luto efformare animos res ſenatus imperantis.* Agit imperitia vafre. Agitur turba animo ruſtico apto pratis. Os tacet, pectus ignorat, gens ex agmine. Sunt compares elementis. Magiſtratus eſt nobile officium, indolem tenere animorum, rationem ex brutali ignorantia liberare. Doctrinæ adminicula mentis elementa. Diſciplinæ numen aptat terrigenas: ſingulis viris tributum jus boni melius adminiſtrandi. Eſt artis tenere; indago dignior, nosmet oportet condere, ſimulacro juſto. Totus noſter eſt genius, ſervandus, excolendus, imbuendus, docendus: Servare virtutis tuæ. Noſſe intereſt, vis, quære. Omnibus liberum, legere, attendere, volvere, revolvere. Eſt tutum, noſſe ipſe. Oracula redduntur populo: intelliget vix quisquam. Eſt viri quærere. Affirmantur innumera leviſſimo judicio, maxima judicio ſiniſtro. Sermo orat, nec novit intentionem. Homini theoria applaudit, nullo interius reconditorum aperto. Mens eſt venatione quærenda. Alia res tecta. Superficies non oſtendit mentem. Sermo oris merum arbitriam terminorum. Obtuſus populus, orator perplexus: plerique imperiti hiant. Sanus orator, liberaliori judicio, diſquirit origines conſcientiæ. Oportet recte conſcire. Refert expendiſſe terminos nutu interiore. Truncatis verbis Lernæa eſt vipera. Studium veri tollit inertiam, vult rem exacte ſcire. Opinio tutum populi imperium, gratia ex autoritate. Nimium intelligitur. Amara rudis veritas, dura. Condonandum nimio in humanis. Eſt decorum, totius ignoti veri nonnihil, in magnis minimum, intelligere. Opinionum traditio reperit autoritatem, ubi qualecunque examen intermittitur. Doctrina opinionum recti profeſſio. Scientia valet luſu, veritas credulitate. Reditur in circulum. Ex antiquitate trahitur radix opinionum. Sic intellectum tunc, nunc expendere grave. Eſt aliquid cogi ignorare, tacet inveſtigatio. Libertatis exiſtimare, arbitrari. Religioſiſſima ſcientia ignorantia. Superiora veſtigando tegitur receptum, argumento vanæ quæſtionis. Ignorantia verius quærenda. Suſcitare inolita, revocare condita, admodum ſuperſtitioſum. Tuta exiſtimatio, ſentire ut beatis judicibus libuit. Inveteratæ veritati jus credulitatis. Noſtra imperitia, avorum notitia, una linea. Tentamen eſt ſilentii indago. Tranquilla notitia expenditur gratis. Et luna oritur, ſol oritur, regula primæva. Accipere inſtituta tranquillum: non eſt disquirendum ubi res præſens. Temerarium & abſonum, nolle intelligere recepta, tradita, communia, ordinaria, dilucida. Alienum vendere ſua. Jus vini quærere, neſcire oleum; ruſpari argentum, aurum temnere: everrere ſedulitatem & ſerere otium: minutiis inhiare, tollere ampliſſimum. Tempeſtivum, inhærere conceptis; ſomnii, concipienda expectare. Salvo judicio, diem nolle videre, indicium rationis orbatæ. Subjecta univerſa bona experimentis rigidis. Optima temnuntur, pro infecto guſtu ægri. Nunc in contrarium nititur, uti tunc ſapiebant inſipida. *Res veneunt dolis.* Eſt jus diei, obvia intueri: tenebrarum res error. Triſte odium repudiare prandium. Miſella voluptas rancidum otium. Neſcire, nomen autoritatis; ſcire velle ſignum ruſticitatis, utrumque rus. Malum ignorare congruit, eſt dignum noſſe integra, vera, quæcunque. Turpe excidiſſe memoriæ uſum. Tenenda nota, explorata, condigna. Mittere verum ruſticum, odiſſe ſtultum. Optima ignorare, rationis otium, lapidis gloria. Munus vulgi rude obſequium, tranquillitas animi fucus. Sapit virus dulcedine, otium ignorantia. Rudis

eſt

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/34 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

eſt peritia, abſona intelligere: trahi rationem ex tenebris, ex anguſtiis videre quietem. Eſt ambiguitas remora, remora eſt terrori, ſilentium in terrore. Notitia eſt conſcientiæ, ſcientia eſt rationis. Ordo ligat frontem finemque. Eſt menſura veri rationis orbita. Bonæ rationis arbitrium, trutina & modulus. Vulgus imminet placitis, ratio intuetur texturam ſtatutorum. Rus alit tribulos, ſentes: Nihil in ſtipula alimenti. Trahuntur inficeta raſtro. Eſt plebis ſcire oblivioni. Raſtrum promit ſarmenta, in terra neglecta excellit gluma. Turpe eſt, auro invidere ruborem, orbi lucem, glorioſo operi triumphum. Parca imperitia, gratioſa eruditio. Agitur negotium judicii. In humanis proficiendum, exploranda ſubtracta, obſervanda indagata. Trahitur in ſomnium ſopor. Ex cognitis cognoſcuntur ulteriora ſecreta. A tectis abſtinere neceſſarium videatur; tegere, reperta operire, fortunatum. Effigies injuriæ. Res eſt *ſcriptorum mundi veteris.* Res operire tectas, aperta fraudulentia. Tecta volunt agnoſci: intelligere expedit, inveſtigare decet. Indicta dicta nihil valent, cognoſcenda & ſcrutanda. Oratio requirit pronunciationem. Multa veteres recondidiſſe, onus noſtræ negligentiæ. Animadvertuntur myſteria innumera, cooperta, enucleanda, detegenda, nominanda, in vinculis quærenda, trutinanda, expendenda, multoties volvenda, tectis nominibus expreſſe cognominatis. Maxima vetuſtatis lumina lucere avent, volunt reſpici extinctis tenebris. Noſtra ingratitudo, ſervire ignorantiæ, rebus optimis præteritis miſſis. Evigilandum tandem. Deneganda otio vetus quies. Scriptores exteri nolunt oblivioni inſepeliri, ſcripſere ſolerter, indicarunt magna. Obiiſſe religioſiſſimos poetas, amarum relatu. Rutilantia eorum theatra armamentaria legum, literarum, jurium. Noſtra intereſt intelligi res veteres theatrorum uſu fœcundiſſimorum. Sunt abſorpti tenebris. Legimus verba, mentem relinquimus. Ex tenebris nullus in juſtam lucem. Editiones optimæ concinnantur, res ad triſtem ſoporem. Nihil intelligitur. Metiri elocutionem pedibus, ſatis. Intelligi nequit geographia, extinctis regnis antiquis. Reſuſcitandæ regiones. Evolvenda tempora antiqua: Lumina luſtranda imaginum. Nativum ingenium inclytum robore, veri traditi, virtutis fotæ. Nobile judicium, eleganti comparatione, vocum luce. Negotia interna animi nitide illuſtrata. Tota ſyſtemata expeditionum, auguſti laboris, aperte propalata. Admiranda in dictione exempla mythorum. Nihil in mythis animadvertitur inſigne, ſignatis eminentibus rebus. In bellis, offenſis, conflictibus, animorum indoles. Tragica & jucunda conſilia aperta: admiranda ſimulacra ingeniorum. Ex noſtris ignaviſſimæ gentes in rerum originibus explorandis, autoribus illis lictis. In mythis ars fandi. *Negotia in imaginibus, theatris, alluſionibus, figuris, tropis & ſymbolis.* Vetus tenor robuſtæ orationis ſymbolicus, imaginibus luculentiſſimis, incomparabilis virtutis in civitatum decore effigiando. Superbit ſtilus effigiebus rutilantibus coloniarum, ex antiquiſſima hiſtoria. Examina arcaniſſimorum conſiliorum, inſtitutorum, ſanctionum, imperii humani pretia ex armis, juſtitia, tegmine. Nihil antiquius tota ſerie, bellis, vaſtis ſtragibus, nunciis offenſarum necisque. Sine inimitabilibus mythis intelligitur rei perparum. Symbola in theatris, aulæis, fatis. Sunt univerſi illius literariæ lucis imperiti. Sine illis tenebricoſæ nugæ & gerræ. Noviſſimi in ingenti literarum luce animis velati, rationis exercitio triti, nihil intelligunt vetuſtorum eximiorum ſymbolorum. Inexplicabiles exiſtimantur ideæ deorum: *Saturnus*, vetuſtiſſimus, *Jupiter*, netrix *Venus*, *rex Apollo*, *Typhon*, *Silenus*, *nivea Juno.* Sint viri docti, oſtendant inclytorum regnorum exordia. Periculum, illos lucem viſuros, conditis eorum ſeculis, in rerum graviſſimarum expeditionibus. Tropis negotia inſignita: Agant genealogici, narrent opera longa, ex antiquitate veſtigia quærant, ſcopum non eruent. Deos noſſe exiſtimabuntur, cadent cauſa, abſtemii. *Eſt antiquitatis notitia inventi recentis:* tellus, cœlum, olim divina. *Eſt artis rhetoricæ eruderare veram ſortem, obnuptam, effigiebus armatam, nubibus amictam, nebulis ambientibus cinctam.* Rhetor exenterat tropos, nubes imaginum metitur, ex caligine volvit lucem. *Sol vetuſtatis tropi. Arma Saturni* rhetorum expeditio. *Veneris tricæ* ſunt elementa artis nitidæ, inſidiis troporum ſtipatorum, exercendi artem laqueandi. *Auſterum Plutonem neſciunt interpretes.* Sciant inferos, noverint notam Anticyram, mulctabuntur undis, tenebuntque nomen ex cymba. *Minervam* viderint, robur oris norint, neſcient arma. Ex *Vulcano* quærant nomina igneorum virorum quatientium, accedant Tilphuſium, norint incudes, gratias agent ubi tuti periculum effugerint ſepulcri. *Typhonem* edoceant ſufflare, ſufficiet elabi manus urentis candentisque. *Solem* inſpiciant uſti, ſobolis memores, verbis cauti: *Mercurium* audiant, non intelligent, tacebunt, ſapient. *Effata Apollinis* loquacis advertant, Parnaſſum non ignorent; ſemper ubique ſurdi; ſtreperi, ex roncho, garritu, nugis, judicabunt. *Comtiſſimum ignorari Homerum.* Strepitum immanem tridentis *Neptuni* exhorreſcant, gratias enixas acturi, ubi ſalvi *Thebas* evaſerint. Si *Junonis baſia* revereantur, os negabit experientiam: *Mentiantur ubi legiſſe memoraverint almum Heſiodum.* Admirentur rationem bonam auguſti *Sophoclis*, volens tacebit religioſus *Orpheus.* Applaudet taciturnus *Inachus.* Tanti eſt, recenſere *antiquos* reverendos *autores*, parce eos capere, vocum luce exſtincta. Audire vocem, oblivíſci nexus, eſt autorem notum ignorare. Res timent cognoſci, odio delite-

ſcentis ſanguinis. Canunt & metuunt. Eſt tenaciſſimum animi taciturni jugum. Res ex pectore ſurripere, opus rubore pollutum. Sit in templis numeroſiſſimarum eruditarum gentium *Æneæ rector Virgilius*, tacere volupe. Fallitur exegeta Æneam videns, ſuſpirat timidus. Ex ævo novo intelligere theatrum, ſuſpectum & abſonum. *Leguntur autores, penetrantur ſcilicet.* Jus bardum, recenſere orationem, texere voces, *mythorum vim mittere*, aquam haurire, *abſtinere rebus, beata abſtinentia.* Sedeant veteres & deſides. Tantillum jus veræ antiquitatis, timere injuriam, cavere ſuſpicionem, vitare ſententias. A! *ignorantia rerum triſtis.* Adeſt labor, obeſt lingua, os dolet. Inanis animus rhetoris & mythorum. Nos immemores, extitiſſe tempora antiqua templa imaginum, dedidicimus vultum rudes, temptis effigiebus: exterminamus nova idola, gratia imaginum, lateant antiqua crimina. Ex antiquitate nata idola, totus ſtilus ex antiquitate: Locutio adeo par effigiebus idolorum: cura eleganriæ pars ſuperſtitionis. *Nobilis ignorantia tenebris effigierum.* Simulacra in bellulis regulis orationis in numinibus. *Vſus mythorum monſtra orbis communia.* Audiant *tropi* nunc antiqua templa, nunc *idola.* Stilus in tenebris, conſcia oracula nulla. Monumenta vetera numinum in buccis rhetorum. Venuſtiſſimi tropi rhetoricæ, aulæa theatrorum, ſacratiſſima numina, idola, ſalaces Veneres, bellicoſi Joves, triſtes orci miniſtri. Elegantiſſimi genii, electiſſimæ linguæ, effigies numinum, integerrima ſimulacra ſermonis illibati. Grammaticæ, adulari veneribus, titillare eloquio. Eſto, *noſtri orbis idololatria, imagines, tropi.* Adorantur *Veneres troporum,* coluntur *Vulcani linguæ flammis, muſæ vocales* denæ noviſſime adorentur, tinnulæ invocentur, commendentur, ſuſpiciantur. Vivant, ſalvæ. Maneant effigies ducentæ, nunquam abeant theatris. Mulceamus *veneranda numina Gratiarum.* Excolamus regulas juris beneficiorum veterum. Ante nos inchoata togata ſcientia. Ex antiquis legum alma palma. Agere juſte didicerimus, & moliamur. Non intereſt, texere exequias. *Melius,* vox rationis; agere candidius, integrius loqui, benignius vocare, paciſci moderatius, velle rectius, expendere religioſius. *Nubes in ſcholis ex diſciplinis removendæ, otium ſecernendum,* malitia vellenda radicibus. Odium interimendum, trux injuria vitanda, ſtudia excitanda, negotia memorabilia ordienda, ratio elevanda, tempori neceſſario invigilandum. Temperies naturæ vult rationis arbitrium. Nuncius gratiæ erecta ratio. Olim in tenebris: in tenebris ſumus, reſtat expergiſci: purgentur veteres ſordes, tentetur emundatio animi, integritas teneatur. Nusquam abſit ratio, ordo. Niteat genii innocentia. Agere rectius eſt melius. Surgere ortus lucis urget. Poſt ortum publico ſuſcipere expedienda, non morandum, otio repudium, exercitium tenax, nivea intentio, manſuetudo venerabilis, moderata ambitio: honeſtatis amor, recti bonique amplexus. Extra tenebras nitidiſſima aura. Ex antiquitate rectæ rationis effigies, tenerrimæ tranquillitatis exempla. In luce eſt os clarum, ratio agit tempeſtive, ſerenitate natura illuſtrata. Omnia luculentius, venuſtius, pulchrius, opportunius, placidius. Ordo ſolertior, obſervantia integrior; rectum operoſius, longanimitas gratioſior, tolerantia evidentior. Omnia negotia generatim emendatiora. Res omnis pro ratione. Mens eſt lucidior, expeditio amœnior, regula ſtatuendi juſtior: ſubjectior voluntas, experientia dulcior, temperantia elutior, ſolertia ſagacior, emendatio ſollicitior. Vniverſa religioſiora, utiliora, tranquilliora, integriora, digniora, nobiliora, ornatiora, commodiora, mundiora, venuſtiora, candidiora. Eſt antiquitatis tribunal illuſtre literis, elegans arbitrio rationis, ſerena judicio. Indoles depurgata neſcit vitiorum immunditiem, rationis obſequio. Eſt deliciarum numerus virtus. Ingenua mens apertus honos animi; rationis bonitas autoritas. Suprema veritas, domina orbis, initium rerum, extrema periodus. Ante medium initium præſtantiſſimum. Mille uſus tranquillitatis, integritatis, ſedulitatis, concordiæ, exercitii. Dulcis adminiſtratio ex virtute quacunque, ſuperabundans utilitas. Servitus otium, deſidia odium, invidia rictus, eluſio proditio. Mollis excors, turpis porcus, excletus ſtultus. Res eſt probata. In manſuetudine amor humanus, arbitrii reverentia, boni æſtimatio. Scholarum inſtitutio rerum emendatio. Tollendus ſopor, obſonium probrorum. Tergenda, emundanda, adjecta induſtria; limandum judicium, mollienda aſperitas, fuganda negligentia, infringenda ſtupiditas, exſtirpanda infidelitas; reſuſcitanda emaculata ſinceritas. Mundus unus ratio, oritur tranquillitas, alitur facilitas, ſurgit illibata libertas, applaudit recto ordo modeſtiæ. Devotio educatio ſedula, ſpes una totius civitatis. Aſſurgunt radices truncis. Stolones indicant recti operis principium. Mens eſt tenerrimæ indolis, cultura inſerit ſpiritum, jus horti plantæ. Novit olitor noctis mendas: ex temporis præſentia emetitur ſtirpium menſuram. Vellit ramuſculos, exſcindit infrugifera diverticula. Olera diſtinguit, roſis odorem ſuggerit. Virorem dat nardo, violis. Irrigat reverenter, obliqua ligat, enata attollit, recta ſervat, implicita evolvit, detorta nove vertit: manſuefacit vaga. Runcat agellos, injungit leges inſurgendi, munit arbores frondibus. Tempeſtivitatem emetitur menſibus: vegetos ramos onerat malis, odore dulcibus, delicatis, edulcorato ſapore. Munificus vinitor reſpicit oculos, caliculos, incidit ſuperflua, injicit habenas palmitibus. Molitor

videa-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/36 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

videatur ruſticus opifex panis ; rotæ obſervat circulum, nullum otium negotio : catillum inhibet hamo : *ſuppeditat improba bonitas robur orbi.* Oves tenellæ paſcuntur, integris gregibus, eximia armenta ſervi catervatim educunt. Militia vult turmas : In ſtabulis cœtus equorum, Diſciplina apparat ex virtute quæſtum. Sine voce omnia molimina aſpera, hiſpida, abſona, rancida, barda, aliena. Brevis admonitio ſuperat inquietos tumultus nugarum & gerrarum. Excellunt academiæ commodiſſimis integerrimis titulis inſtitutionis liberaliſſimæ. Eminent artes rationis, ſcientiæ imperveſtigabiles. Sedet veritas throno, imperat mundo. In regulis peritia, ex argumentis theatra. Reverendiſſimum *os :* decoratiſſima edicta ſenatus, ſancto *jure :* Reddit vigilantiſſimus *Galenus* incolumitatis fundum temperatum : ex ſtrophis infert *philoſophus* omnium rerum tropos. Arbitrium naturæ regunt : ex tenebris ſoles, cuncta effulgentia : ex inferno cœlum, ex paludibus ſcaturigines. Omnia arctiſſimæ profeſſionis. Excultiſſimæ leges orbis delubra. Nihil in infinitis corporibus, in his theatris, incredibilibus myſteriis. In linguis inſtitutionis tela ſapientiſſima : Oracula regunt pomoeria : in ſemeioticis indago naturæ : Sidera infundunt bona rotundis orbibus. Eſt aſtris intelligentia temporis. Naſcitur animus tenuibus ſtirpibus. Bonorum ubertas ſumma. Ex academiis cœlum, inferi, ſirenes, inſulæ, horti, paradiſi, numina ordinibus numeroſiſſima. Scientiarum in nubibus ortus, in terra artes, exercitia, rerum cardines. Supra vulgus liberrimus Liber, ex biblo immenſi libri. Sapit veritas mirifice : integri rivi propinantur. Sitis in hoſpitibus non inhibetur. Omnibus comitiis indulgentia fluit : in nebulis gratia, admirabilis, magnifica. Terribilis eſt imperitia, muta inſcitia : linguæ bullis uberrimis ſuperfluunt. Eſt veritas Quiritum os : eſt ordo conſultorum jus : Hippocrates tenet imperium medicinæ. Menſura una jus totius naturæ & gentium. Magnifica univerſa. Incolumitas nubium mundi ordo. Ex ratione omne munus. Orbis regulæ promulgantur ore, libro, impreſſis typis, ſignis, ſimulacris. Inſpiciuntur loca luciferi & Beli in libris : Theſauri in vaſtis agminibus. Nominum generoſorum, inclytorum, ſymbola, exactiſſima decora ſcientiarum. In literis una celebritas, ſcripta vivunt luce perenni. Silentium in tenebris nullum. Evulgat gloria æternum candorem. In tenebroſiſſimis inexſtinguibile lumen. Eſt academia rationis ſedes inſuperabilis, Sapit aura, vivit elegantiæ anima, mentis imperium rerum principium. Scire eſt neſcire ignorantiam. Grandes imagines rerum omnium. Scit vir, ſi velit labra comprimere. Scientia cavet effutiendi exercitium. Numen obſervantiſſimum juſtitiæ triumphus conſcientiæ, nihil ullius fallaciæ. Amnis ſuis orificiis labitur, uno curſu. Inexhauſti fontes in rerum cauſis avidiſſime ſorbentur. Os loquitur pluviam. Mens eſt tempeſtuoſior nimbis. Jus ſorbendi omnes norunt. Ambitus gloriæ arbitrium pugnæ: ratio ex principiis. Scientia, conſcientiæ eſt forma. Ignoratur totum, nec operis plus. Ex ſolida ſcientia adipiſcitur natura arbitrium mentis. Bonum uſu ſcientiæ. Scientia uſu major inſignibus ſtatuis ſimilis. In turba inemendabilis difficultas venuſti rationis exercitii. Tentaſſe eſt ſatis. Vulgus mulcetur imperitia, ſufficit ſuis inſervire ſenſibus. Orbita ignorantiæ, glorioſior illiteratis literis. Exilium rationis rectæ vulgi tribunal : ingloria gloria illius corona, odium diſciplinæ adminiſter ſtultitiæ torvæ. Invidere vero res eſt ſervitutis. Servit inertia, negligentia, ineptorum memoria, odium doctrinæ, ſervit conſcientiæ exilium. Malum univerſale rationis exterminium. Tantum intereſt conſcientiæ, nihil ut noſſe juvet. Non juvat meminiſſe optatiſſimi decoris. Juvat tollere, corradere, auferre, fraudare, ſurripere, invadere, violare. Res eſt ſtrenui ſtudii conſcientiam excutere. Tutum non eſt ſcire, ſervit indoles uſui fructui. Servitutis etiam leges, agit vulgo quæſita. Seculis etiam limites. Aſſeritur tunc tantum, nunc exiſtimatur ſatis, ſcire initia, ſatis aliquid vidiſſe, expers judicii vetera quærens. Temporibus noſtris eſt rara avis, rationis beneficium. Obviæ res proficuæ, ſemita conſcientiæ expertæ. Scientiæ jus ludere legibus. Inſita ſenſibus juris regula, ex naſcentibus emolumentis. Genius in trivio intuetur uſum abundantem. Mens ex tripode utilitatem tenet jure victoriæ. Ratio exclamat ſollicite, juris uſum quære. Miniſtrat uſum jus totius naturæ & gentium. Suum arbitris jus rationis, unicuique jus nequitiæ ; juris tenaciſſimus, egregia menſura uſurarum tenendarum peritiſſimus. Minus expertus texturæ neſcit ordinaria commoda. Arbiter rationis tenet notitiam optimam convaſandi, expilandi, repetendi, exhauriendi, bonis inhiandi, res compilandi. Senſibus eſt directorium. Scire eſt neſcire. Intelligit genius juſtum, rectum odit. Erit aliquando tempus conſcientiæ : nunc innotuerunt tempora ſtultitiæ : conſtant exploratione, ex nexibus experimenta præmiorum. Melior ætas in ſpe. Integra tota nulla erit gens. Satis, unum, illum, trutinæ optionem tenere. Supereſt *amœna ſors optandi.* In recto orbita lucis gracilis, tenuis & ienta. Et voluiſſe ſatis. Aliquid tentaſſe ſufficit. Ex nihilo onus honeſti. *Temperies animi, res eſt experientiæ ſerenæ, ſatis exiſtere contentionem ex nebulis emergendi.* Aliquid magni in ſollicita contentione optimo rapit palmam. *In rerum apparatu parum optimi initium. Totum in ſinu conſervatur expetendum.* Tantillum nihilo eſt rectius. Exordiri convenit ; ſenſim in habitum. Moliri aditum indicat. *Obſervat greſſus*

*viam ingreſſus. Otium impedit.* Rei integritas ſub ſpe atra. Moleſta exiſtimatur diuturna ordinis exploratio, beatior ubi ſubinventus. *Eſt antiquiſſima veritas quæcunque indaginis liberrima.* Examinat ratio exordia, augmenta, ultimam definitam telam. Excellentiora theatrorum notat emblemata. Superſedendum ſacris intimis, in rimis exiſtit periculum. Magnum, aliquid inveniſſe: ſi intima licet exhaurire, animus recreatur ſenſim impenſius. *Sufficerint veſtigia bona, intimos receſſus tangendi.* Mentis eſt capere extra dubitationem magnificas veri cauſas.

Scr. in acad. Jul. a. 1740. 12. Martii, die Gregorii.

*Lumen inclytæ Græciæ* illuſtravit univerſa ſtudia, veritate imbuit rationem, originem genuit erecti rectique genii.

## Pluvia nivem ſolvet & glaciem in fontibus.

Spes veræ beatitudinis in *tranquillitate.* Num, *obſtructis fontibus nive*, immemores manebimus *emendandæ inclementiæ? Colliqueſcit auræ lenitate glacies. Temperies* eſt tranquillitatis emerſuræ via. *Lumen orti ſolis* mitigat, & vitam infundit novam animo judicioque. *Veritas virtusque liberaliſſime pluunt. Pluunt literæ,* (Deut. 32, 1.) vegetant valide: Imbuunt animum novo judicio: vitant errores mentis. Sole orto lucidior veritatis exploratæ trames. Exulat terror: gravis lapſus abeſt: congaudet integritas. *Emendata mens intimas novit fontium origines, nativam tuetur incolumitatem boni veramque ſalutem.*

## *In duodecimum typographiæ ſeculum, ab a. 2540. ad a. 2640. quo fertiliſſimarum literarum arva fructuoſius colenda.*

### 9. Animi libertas, Πληθύπατος כסליו November.

*Orbium veterum ævum* æſtimat ratio *temporis auguſti. Libertas, ortus legem obſervandi, digna judicio.* Sol ivit, ſancitis ſuis ambagibus, numeroſis annis, millenis. *Olim computi ordinis diverſi. Annorum* ſupputatio tunc ex *cognitione* imperfecta *finium.* Juſtos terminos *noſter orbis* penetravit. Ex rerum ordine *tempus in dies noctesque ortus conſtrinxit.* Attenti ſpectant, *ſenſuum eſt reſpicere præſentia.* Ex ſenſu ſenſim annatus *numerus* auguſtorum *menſium*, brevi verſura. *Sol* orbem gubernavit ulteriori jugo, *ordine congruo annorum.* In regionibus illuſtrium *ſiderum ſolis ambitus.* Machina auguſtiſſima inferioribns effecit terminos naſcendi & generandi. *Animalia coaleſcunt ignoto annorum diſcrimine*, vivunt, intereunt, *temporis exacti menſuram univerſa ignorant.* Lumen intuentur, ſcientia cauſæ exulat. *Mens veſtigia computi agnoſcit*, in re judicii, ſuperiora ſpectandi attente. *Scientiæ incunabula, leges enumerandis annis recenſitis*, ſeria juſta, tertio, ſecundo, ordine primo. *Supputandi uſum* brevibus iſtis terminis *aſtris ratio tribuit, ſolis ortu notato.* Si voluiſſent brevioribus initiis terminos indicare, potuiſſent. *Anni* concipiuntur *ratione orbis verſi*, ter, aut ulterius quater. *Indis lunæ lumen effecit brevis indicis leges: ſupputant exiguos rerum terminos. In minimis inſignia rerum prima.* In temporis periodis iſta *ratio computandi ſimplicior. Menſium uſu ratione ordinis immutavit ratio exordia; tempus ſolis, obſervationis poſterioris.* Omnium initia leviora. Inchoat ſucceſſus commodiora exordia. Senſim. *Incepit luna.* Ex *arte* rerum ſunt inſtituta. *Menſium* viderunt *initia, revolutis vicibus lunæ.* Placuit *duratio ejus.* Senſerunt ſenſim *in rotato orbe* terminos verſuræ aptos. Solis vias inire non valuerunt. *In lunæ luce experti belliſſimam initii libram.* Senſus oſtenderunt exordia, ſucceſſum. Experimentum naturæ ex generatione. *In luna viderunt generari nativa initii ſigna.* Ex veſtigiis quæſitus eſt *numeros. Ex luna uſus ſupputationis cæleſtis.* Experientia *menſes* admiſit, initiis & terminis. Numerus ex generatione aperta temporis, orbe tornato. *Auſpicium temporis ex luna eſt derivatum.* Acceſſit in rationis augmentis *menſura alia ſolis.* Temporis emendatio obſervavit *ſolis reditum & verſuram.* Ex menſibus *anni* jam ſtatuti. *Ordo initii* reſpexit *initia ſolis ſurgentis.* Animadverſus reditus *ex primo ordine naſcendi.* Generatio exſtitit regula. Omnia *creſcere incipiunt*, terræ indicio læto. Ex agris, rure, ſeriei inchoatæ ſignum *ver.* Bonum in rerum ordine tempus *veris auſpicium.* Senſim inſurrexit tempus *æſtus.* Tempus emerſit *autumni. Ex auræ revolutione experientia ſolis annum dedit.* Ex ſolis tramite *numerus* exacti *reditus exactum generavit annum.* Ex anni veſtigiis quæſiti *termini exactiores rotæ.* Emenſus bene *ambitus hibernus. Alius in luna ambitus.* In utroque quæſitus ordo terminorum. Ratio excuſſit ſenſim eximiam *differentiam.* Notata *in menſibus* verſura tempeſtiva. *Annorum* numerus non idem. *Conciliatio* non obiter cognita. Expoſitus ſoli ordo *meſſium*, adhibito *menſium uno circulo.* Ita ratio offendit terminos ſolis in hybernis, ſurgente *vere.* Principium reſurgentis orbis confecit computum obitu hiemis. *Multi* voluti *menſes* interea. Ratio pervidit *ex utroque* quærendum eſſe *numerum.* Meſſium verſura reddidit anno *intercalandi negotium. Orbis lunaris ordo complendus*, temporis venuſtiore æqualitate. *Meſſis unus reditus orbes lunæ vocavit plures.* Opus pluribus. Terminus exactorum

*menſium undecim* reſpondit anno. In limitibus intercalationis, *menſium* annus factus *duodecim.* Excepit ſol, menſium veram rationem anno non obſervari: ſubinde reſtare ex *particulis non obſervatis* numerum. Exinde *aucta intercalatio* regula *orbium tredecim*, ſancto jure horarum. Inſtituti hinc *tredecim* intercalando *menſes*. In ſole idem nondum lunaris initii numerus. *Menſium expeditio curſu lunæ apparuit congruentior.* Donec augmento exili temporis *intercalaretur pars anni confecti.* Attamen ſenſit juſta ſupputatio *exceſſum numeri* ex generatione. *Aliquid tollendum ordine temporis.* Admirabile tentamen antiquitatis ratione ordinis numerique. *Gens judaica ex luna ordinem didicit numerumque intercalando.* Menſuram venuſtiorem *Romani* orſi, horarum temperie in *motu ſolis.* Congruit exinde tempus noſtrum utrorumque. Ex veſtigiis quæſitus eſt numerus. *Inventum rationis* anni regula. Tempus eſt naturæ, experientia penetravit. *Anni in gyris orbium. Lux orſa numerum.* Orbes rotati horizontis conſpectu. *Tempus ex arte in hiſtoria. Præclariſſimum artificium rationis, gyros obſervare ex gyris.* Antiquitatem intuita ratio orſa *temporis ſeriem* indagare habitumque. *Ex numero ineffabilis ſcientia. In horis* tempus immenſurabilis menſuræ. Scimus indicio temporis *eminentia hiſtoriæ præſidia.* Oblivioni repagula poſita. *Temporis emolumenta ex ſolis orbe moto.* Non inſpectis initiis revolutionis & motus, una numeri neglecti ignorantia. Sol indicavit gyro veſtigia numeri. *Tempus in veſtigiis elegantulæ lunæ.* Prima mundo impertivit ſigna in volubili numero. Invaſit *tempus numerus ordinis circularis. Sol, ortus indeſinentibus rotis annorum texturam notavit. Ex motu mundi ordo chronologiæ. Motus, uſu rationis obſervatus, negotium annorum inſignivit.* Tempus ſol initiavit, ratio horas compoſuit. Tempus & menſuræ uſus rationis obſervatione. *Ex arte documenta.* Vſus inventus ſole oſtendente nexum, & lucis lunæ initiis millenis. *Ars invenit tempus, numerum annorum ratio. Omnia numeri gratia. Inventa ex arte, uſu quæſita.* Tanti *ſcientia ex temporis opportunitate.* Poteſt intelligi gloria judicii. *Luna luxit, & terra non intellexit.* Signa in terra, ex horizonte prodigia ortus, rationis portentis. Tempus ex experientia, *ſole orbiculatim moto, nec intellecta ejus doctrina.* In *luna* ortus ſpectatus, ambitu extimo, *nec intellecta lunæ conditione & natura.* Orbis totus ignotus, nos generalia obſervamus, cognita extrinſecus. *Nihil in mente interiorum.* Ratio cognoſcit ſigna, interiora dimittere oportet. *Volupe quærere, eſt noſtrum invenire ſero.* Superiora videmus, prohibitum os inſpicere interiora, *cauſas ignoramus, de uſu judicium imbecille.* Videre genios in ſuperioribus corporibus, eſt *neſcire ortum. Non eſt rationis exhaurire corpus ſolis.* Opus noſtri genii intueri diſcrimina, motum, & regionem orbium, temporis uſum attendere. *Tempus eſt motus exordium terminusque.* Abſtinendum tramite ætatis. In luna lucem experimur bellulas intra lineas. Sentimus ingentem vim ſolis, ultra ignoramus unde calor. *Eſt neſcire noſtrum.* Emetiri ratione extima penetralia, non opis noſtræ. Motu utimur, tranquilli. Nec attendimus telluris ſubſellia. In tergo plantamus, inſita rapimus, *cognoſcere ſubſtantiam ſuperſedemus.* Ignoramus comeſta, ingeſta, titulis ea humorum, proventuum, ornamus, relinquimus propria. Terra exhibet ſollicita infinita congerie in anguſtiis ſaxorum opes *metallorum, naturam ignoramus:* melius unum, illuſtrius, concinnius, *indicio formæ externæ,* nominamus. Exiſtimantur bona æſtimii immenſi, *mittimus internam naturam. Opinionis tota eſt maſſa.* Amœnos *lapillos* luminoſos, inſignis nitoris, incolumes tenemus & ſignamus, inſigni theſauri robore armamus, *æſtimio coloris, ignoramur res, originem:* terra evomit, honorem referunt. Mulcent vina, nos inebriant, mentem enervant, genium damus onuſtis *vineis* quærendum. *Scire, ignorare ſoliſſima;* ſubſtantiæ ex rerum promptuario ſubtractæ cognitioni. *Ex ſignis infirmiſſima cognitio.* Sumimus ignota, rapimus præſentia, miramur vultum, reſpicimus os, *linquimus lucem internam. Subſtantias* voramus *beſtiarum,* in nulla intelligimus maſſam, obſonia nuda. *Sapor*, omne. Velle quærere internam temperiem naturæ, amarum. *Totum neſcitur.* Vaſta ratio explorare ſedulo cavet, impervia detectum. *Socrates* ex remotis orbibus traxit, vagis ambagibus, *mentis uſum, rationis opes, lucem veram conciliavit ſtudia virtutum. Princeps opus morum.* Virtutis robur oſtendit, uſum ſuaſit: Mentis vitia removit, os mundavit, judicio ſua ſuggeſſit jura. Totos nos ex cœlo. *Excuſſit rationis tenebras, & nativam invexit veram quietem.* Tribuit naturæ *arma rationis*, ex genio integriore. Terram nexuit orbi cœleſti. *Salus orbis virtus ſerena.* Diſciplinæ vulgares, præſidia artium, ex *mechanicis*, in ſuo ſinu juvant, *veritatis* ornatu notata exercitia animi valent quærendo. Acies *theoreticarum ſcientiarum* expolitur generoſe. Tandem nata *eſt ſalus ſocietatis, excellens morum indoles, lumen orbis.* Mentis arbitrium judicii integritate, ſolertia, attentione, venuſtate, quiete. *Animus tenet imperium regendi expeditionem.* Textura exercendæ actionis res prudentiæ. *Anima legum virtutis cultura.* Ex ſententia agere graviter, negotium omnis laboris, deſidia ad exteras regiones. *Ratio, egregiæ fortunæ expeditiſſima regula.* Suffert adverſa, tentat ambigua; inſpicit genium inſtitutorum, faciem format efficiendorum. Semitam init legum, obſervat beneficia modeſtiæ: inhæret ſinceritati: ſocietatem elevat: res invidioſas vitat: ex amicitia juvat viros ſocios. Eſt naturæ navæ & laborioſæ, operæ ſagacis, ſtudio juſti honoris. Truculentiam exter-

minat, reveretur egregia tractantes. In legibus jus, miſſa injurioſa ſimultate. *Munit virtus ſenſus, ne excedant.* Supprimit malitiam univerſam, neſcit iniquitatem. Vnione nectit eximios genios. *Tenaciter emetitur metam uſus publici. Optat communem ſalutem.* Derogat adulationi, odio, vanis querelis. Rancorem vocat turpitudinem, iram grunnitum. *Judicii libertatem laudat.* Emendat tenerioris naturæ imbecillitatem. Mendacium vocat blaterationem: rigoroſe exigit veritatem. Suadet conſtantiam in virtute: mitigat exceſſus indebitos. Delinit male volentes. Non reddit ex inſidiis damnum, oppugnat hoſtilitatem: nugas interdicit. Apertis legibus vehit communia emolumenta, ſecura, recta, explorata, præſtantia. Singulis in locis urget gratiam. Nihil inſinceri, ſordidi. Ex veterno ſurgere jubet. *Legitimam longanimitatem & benevolentiam jus libertatis* ſtatuit. Infidelitatem traductionem nominat. Ex malis uſum nectere omnibus modis molitur. *Virtutis regnum* obſervantiſſime honorat. Succenſet invidentiæ, vitat pugnas, injurioſas contentiones execratur. Amicam requirit pacem. Neſcit impetum, exprobrationes depellit, nebulones ungit. In ſimplicitate ſociorum eſt lenis, pravis minatur aſper. Rapit ex terrore. In rebus aſperis præmunit excordes. Vehit medelam vexatis, confert incolumitatem luxatis. *Opus bonum mentis integerrimæ ſigillum.* Mentis vulnera curat. In honorem tribulum incumbit multis. Juvat decenter, nuncio effatur benevole. In recto conſtans, ſeverus, tenax, expeditus. In dicendo, narrando, explicando, conſonus juri. Deſideria ſincera implet, tribuit irritis votis abuſum. Servat valorem boni, exiſtimationem recti. Erogat debita, mittit vetita. Liberat inſontes. Tuetur ſubjectos, inconſultos redarguit. Verſutos ſubvertit. Vanis ſeria jungit. Tenet præcipites. Inhibet rapinas, conſcios ſceleris tundit: eventus ſuſpectos verbis bonis interrumpit. Nullius otii inſimulandus, trux adverſarius rancidi oris: æquitatis tenaciſſimus: Exſertus hoſtis propudiorum: oſor reſponſorum propudioſorum: ſurdus oſtentationibus: æquus diſſidentibus, verus judex. *Ratio eſt tyrannus, niſi inhibeat affectuum tumultus. Jus eſt animi tribunal erigere operum propriorum.* Sanguis ebulliat, torpor effutiat, rotet palpus, rudes errores turbæ, nulla in iſtis technis vis. Speranda voluptas bona in literis, artibus. *Vetus quærenda ætas*, ſollicitior, veracior, benignior, integrior, rationis obſervantior, melior: Inſenſi nævis, amœni genii, aperti, probi, manſueti, veraces, recti, experrecti, tenaces juris, juſti, tractabiles, compoſiti, alacres, fideles. *Invitandum ævum dignius*, virtuoſius, judicioſius, temperantius, negotioſius, expeditius, rationis rectæ experientius, fortioris fidei, infractæ diligentiæ. Superare videbimur bonis inſtitutis robuſta oſtenta murorum. Caſtra extrema nequitiæ obtrita. Inter notos electa gens, conſulta, exercita, nivea, tranquilla. Vnus animus toti populo, rationis obſes. *Salva bonitas, abſentia technarum.* Sordes exiſtunt mentis verutrum, rationis horror, tranquillitatis amicæque reverentiæ abyſſus, barathrum elegantis amœnæque naturæ, amicitiæ gurges, amoris palus. Ævum inclinat, ratio torpeſcit, animus labaſcit, ordo langueſcit, omne decus in necem. Iniqua oblivio juſtitiæ, gratiæ, integritatis, liberalitatis, expenſarum rectarum. Adminiſtratio commoda in abſinthium derivata, uſura jus: ſervit concordia, odium miniſter armorum: totus ornatus teter. Sublimis veritas, belli impetus, rhombi ex nimbis, exedens gangræna. Ingluvies diluvium. Nihil ex gurgite limpidi: una domus nigra. In vultu tartarus, lætitia unus charon, navis in ſyrtibus, undæ babylonis, jugum tenebrarum. Nihil ex gratia. Submiſſa virgula bellula in vaſtis quercetibus. Timor in ſuperſtitionem, conſenſus vulnus, regula truncus. Sancta modeſtia enormis noxa, oratio iræ traha: integritas tremor, ſinceritas rubor, emendationem pudet, veneratio ſerpit. *Mens ubi, inter tantos nimbos & grandines?* Sedet conſtricta, obſecrat, murmurat, migratura, ex jure abitum parans. Subterfugit incolumitas rationis, triſtatur, complorat, ex pectore ſuſpirat. Mugit virtus, nugatur juſtitia, mentitur veritas. Nemo ſubauguratur in via ſentes, obvias rapidas procellas, montium vaſtorum juga: trames nuſquam extra gurgites: offendunt læti prædones, metus exuit ſenſu, conſpiratio erumpit. *Integri exercitus difficultatum, inexplicabilia retia expanſa.* Vepreta ſecus viam inviam, noxiæ viperæ ex dumetis & ſentibus: obſtrepunt ranæ paludum: *Menti ubi locus, propugnaculum, munimentum?* Ex terra erumpunt nebulæ, obtenebrant minæ omnem lucem: abit ſol. *Bene vale*, ſatyri ſtrepunt: canunt onocrotali *male, male:* uri, torvi, auſteri, nimium boant: urſi ſubmurmurant, trepidant ſaltus ambigui. Exul nivea, venuſta mens, manſuetudo infans, ſinceritas imbecillis, longanimitas obvoluta, decus indecorum. Minuta veritas in teruntios, *nihil eſt gracilius ſobrietate:* indemnis dolus, nuda venuſtas, mucida mundities, infirmiſſima benevolentia, averſa miſeratio, vulneratum ſanum judicium: undæ manant ultra voragines, æſtuant ſyrtes, *inundat diluvium innocentia viridaria, arbuſta defodit. Mens vagis natat undis.*

Scr. in acad. Jul. d. 15. Martii 1740.

Servit veritas, ratione oppreſſa. Hæſitante principio, ordo territus. Surrepit impedimentum, rationis hortamini contrarium.

## In glacie corticeve natare fallit tandem.

Malle eludi dulcibus narratiunculis æſtimatæ *traditionis*, trahitur in limine laqueis apertisque fraudibus. Exiſtimat ratio, *autoritatem traditionis valere nihil, examine veri eliminato.* Curatum judicium tenet regulam ordinis congrui. Expedit, juſta contueri *auſpicia.* Luce gaudet naturæ indoles. Intereſt, non gloriari longæva autoritate concionis inexpertæ. *Exordia conſulunt ordini recto:* terminum indicant congruumque exitum, virtutis examine. Nihil adjuvat tenaciſſimum autoritatis robur: Egregie fallit, apparatis laqueis linguæ injectis. Tacendum tandem, ac nihil dictum eſſe mentiendum.

## *In decimum tertium typographiæ ſeculum, ab a. 2640. ad a. 2740. quo amœniſſimarum literarum arva lubentius colenda.*

### 10. Animi liberatio. Ποσιδεὼν טבת December.

Tectum *judicium* ſilet, cum audit rationem tacendi. Errore repente, amat ratio *cauſam adverſandi* ſerio. Munit voluntatem, jubens *tacere:* non eſto grave *deſiſtere. Aſſurgit ſenſim in liberationem veri, conſulti, egregii, ſinceri.* Servit *judicii libertas*, ubi gravat nudus impetus ſenſuum. Senſus oderunt ex arbitrio dignum *uſum judicii.* Servitus audit tyrannidem, ingemiſcit, rapitur ad prava. Jus rationis, carcer. Agit ſervus, ſine voluntatis tegmine. *Libet*, vox culpæ. In negando, rationis eſt tacere. Scire, culpabile. Evellenda ex animo vox quietis. *Obtundit torpor animi gnavitatem. Libenter velle*, vox indigna dictu. Obeſt, *lubet.* Vis prævalet, obſtat poteſtas. Neſcit *judicium coactum* expedire negata. Refert, *ex terrore* judicare rerum agendarum partes. Obmuteſcit, tacendo, conticeſcit effando tecte. Obvia videt offendicula, novit obſtructum tramitem. Nititur emergere mens, undis gurgitum rapienda. Admonet ſenſus, vitare ſtrepitum: ſuadet intermittere machinas, damnat aſtum. Mavult agi decenter, ingenue, temperapter, integre. *Senſus vehementer turbant anchoram tranquillitatis. Judicium ſentit vim ſenſuum.* Expugnat technas, natas ex gentilitiis rationibus. *Eſt trames naturæ in ſingulis.* Innatæ notæ, nativæ avorum. *Sanguis imbibit nævos.* Eſt languor, labor, inſitus maſſæ. Sic vehitur communis indoles humana. *Trahimus in matrice temperamentum. Ex ſanguine venit temperies agendi. Redit vis generis in filios.* In deſcendentes natura effundit brevi inſtinctu rivos cogitandi, ſentiendi. Tarditas ex indole, diligentia naturæ excitatæ. *Caro indolis doctrina. Vt temperamento lubet, vult caro.* Sanguis vertitur in lingua, lumbis, iliis, thorace, & oculis. Ebrius dux. Eſt debitum rapi. *Exercitium carnis actio ſanguinis:* Simul volunt. *Lex inexhauſta tectæ ſcaturiginis, caro imbuta ſanguine.* Origo tota animi, temperamenti, vulgatæ mentis, ope *parentum, obvoluta caro ſanguine tenet indolem innatam.* Scire nexum alti rami, trunco majorum, vix meminerit ſapiens. *In arbore deliteſcit uſus judicii.* Naſcitur in ſtirpe vis bona, in termitibus naſcituris exſerendus genius, ſecundum carnem. Exſurgit ampla *pomus*, medulla offert poma. Mens una ramorum avita. Invenire nexum originis, mentis excedentis. Res eſt conjecturæ. Alia natura *rubi.* Eſt terra ſimilis; Concipiuntur ex iiſdem terræ viſceribus. *Indoles eſt diverſiſſima, in minimis munus univerſale ſeminis.* In vivis, in vegetabilibus, ſeminibus virtus innata. *Non ullius mentis eſt, legem originis detegere nativæ indolis. Tacere eſt modeſtia.* Eſt neceſſarium, *in generibus animalium* mirari *indolem diſtinctiſſimam ac diverſiſſimam ex ſemine.* Minime valet ratio oſtendere tectam artem cujusvis variæ formationis, munere veræ *radicis: oſſiculum latebra opulentiæ*, deliteſcente indole munificentiſſima. *Vita in nucleo. Eſt genius tectus & minime explorandus*, in generibus innumeris, ferarum, fruticum. Eſt dicendum aperte, *nullius ortus notus. Acinos* tenemus, acinorum rimæ oblivionis medulla. *Satis neſcire elementa geniorum.* Termites & rami ex imo fundo arboris. *Vnum ovum nucleus.* Tenta & rue veſtigando, temeritate nimia excedes. Repetes ex vinaceo grumam? Nihil, inane. Tanti *ſcrutari in diſſimillimis origines differentiæ;* obſervata medulla invenitur nihil. *Mentis onus ſilentium.* Viridariis bulbi, imagine radicum, oſſiculorum, medullarum. Satis, *in tot innumerorum diſcriminibus neſcire originum conditionem.* Nucleos inſpicimus, medullas videmus, *indolem tectam neſcimus. Eſt generis*, ajunt. Tantum videlicet ſcimus, *eſſe generis*, eſſe leges ſartas. Agnoſcenda culpa imperitiæ. Licet bene votis precari. Satis, agnoſcere tegmina radicum & ſtolonum, in diverſiſſimis regionum exterarum plantis. *Aberrat ratio ultra corticem.* Magnificentior vis rationis, *origine mentium. Tota indoles ſanguinis, ſeminis & corporum, clauſa.* Admiramur mentes, & tamen neſcimus earum genera. Ex bona radice oriri nitidam indolem colligimus, *nec animorum humanorum mentiumve adverſiſſimam varietatem ortu novimus.* Res eſt tecta. Novimus inter radices *ordines* infinitos, aſſimilis *mentium.* Matribus eſt tantum adnatum, tantum itidem referendum ad patres. *Tecta inſita varietas naturæ & generis.* Eſt una querela, olim vetus querimonia, *ſanguinis infinitos naſci ordines, inſigni temperamentorum.* In tot ſortes rapi eſt pervulgatum, ut ſint *millena, ex bile, ex languore, prunis, multis acervis.* Commixta in alveis

diverſiſſima, varietate imperveſtigabili. *Matrum* ars tanta? in regiminis exercitio *patrum?* mavis inquirere, differentia unde? *Perge ad ovarium, inſpice, tectæ anguſtiſſimæ latebræ.* Varietas mentium ex auſpiciis tantis. Vna adverſa omnium diſſimilitudo, *variorum temperamentorum* inſigni. Lapſus *in moribus* inenarrabilibus ſimulacris. In natura radix, ex temperamento ſatagendi conſuetudo. Extraordinaria ſupereſt verſura temperamenti, *legum uſura. Cicurantur & animalia,* venuſtate qualicunque. *Sumus uſu ſagaciore cicurandi,* exercitio legum floridiorum. Manemus urſi, temtis legibus, vultures, corvi. *In educationem dignam immutatio redit.* Ex urſis, canibus, nunc viri, nunc ſodales, venuſti, impigri. *Niſi veſtes nos integerent, ſuperbi videremur tauri.* Arma *unguium* reſcindere eſt ſanari. Similes *artes* innumeræ *tribuunt naturam aliam.* Terguntur ſordes, mundatur univerſum corpus, regitur in circo. *Senſus externi* negant monſtra, *ornatum diſcunt. Animi ornatus venit quærendus.* Scelera veſtibus teguntur, probra egregie comuntur. *Eſt res ſimulationis.* Ex temperamentis nati excludunt genios, radicibus eorundem temperamentorum. *Niſi intercedat ſollicita inſtitutio, non niſi armenta:* mentes armentorum indices. Sola *informatio* novit exſertis legibus literisque immutare mentes. *Res eſt cognitionis, animum ſtudiis ſervare.* Vſus naturalis rerum externarum torquetur ſobrie, concinne. *Eruditio numen eſt:* mentem aptat, trahit ſenſus ut teneant leges, venuſtum componit rationis uſum. *Terror* exigit rationis æſtimium. Grande onus reprehendi. *Ruſticus vult ſudes.* Senſus volunt exerceri dediſcendo: ſentit vulgus rude externa vulnera. *Servitus* una voluntas, ipſa vita: ſervit voluptatibus, natura vult ſtipitibus impelli: *ratio, timoris ſedes.* Negotium orationis monere, movere, urgere, nuncupare. *Imbuenda mens virtutis notitia. Sine inſtitutione tenebræ continuæ, indeſinens fucus.* Servitus in numellis ex tenaci nequitia, excors caput obnuptum, ratione preſſa. Tuta via rationis verſandæ, *temperata erudiendi ratio,* animo temperando, voce, monitis. *Mens vertitur tradita notitia emolumenti. Mens vegetatur gratia, regitur argumentis.* Opus rationibus ex vero. *Indigent ſingula teſtimonio exemplorum.* Mens amat teſtes. *Tenera inſtitutio ſignat conſcientiam.* Juſta, facta ex animo. *Res prudentiæ odium damni.* Niſi adſit doctrina, nihil expedit mens egregii. *Ornat rationem conſcientia. Aſperrima ſervitus in vitio.* Tempeſtiva *liberatio* virtutem commendat. *Numen eſt mens virtutis nomine.* Mens vivit manſuetudine, modeſtia, veneratione, ſinceritate. *Mens virtutem nubit veritati.* Solis indoles liberare ortu, dare incrementa, roborare vires, tollere ingruentes grandines, inſpirare ſpiritum, juvare, ſolari, ſubſidia innumerabilia miniſtrare. *Salvus animus notitia, humanitatis, cognitione efficaciſſimæ temperantiæ.* Ex animo ingenuo, res tranquille aguntur. *Liberatio opus luminis, officium divinitatis.* In tenebris ire, damno. Integra virtus regula expeditionis præſtantiſſima. Animus tenet reverendiſſimum ornatum. Optima juſſa mentis ex rationis gremio. Mentis vita judicium temperatum, nivea eſt gratia, ſervitutis congenitæ exilium. *Animus cautus, jam liberatur.* Bonum verum publicum, ſcopus ex recto. *Animi corona integritas, animi ſalus obſervantiſſima manſuetudo.*

Scr. in acad. Jul. d. 16. Martii 1740.

Spes vehit congrua auſpicia: juvat rationem integram conſulere.

### Fluminibus ſua cruſta cadit, ſua fontibus unda eſt.

Temporum numerus antiquitatis uſus. Lumen fontium temporis uſura. Menſura ampliſſimarum terrarum, ſuppeditat viam rectam. *Chronologia, topographia, aſtronomia,* judicii limites. *Literæ* orbem metiuntur, expeditionibus animadverſis. Ratio volvit antiqua metra veri rectique. Orbis hiſtoria theatri, inclytis magnis ſtatoribus. *In tropis, in mythis, compages eminentiſſimorum negotiorum.* Officium doctrinæ aperire tecta, cooperta explicare, tegumentis ſolutis. Ingenium novit nubes ambientes: Symbola intelligit numinum. Effulgent lumina lucidiſſima inexplicabilibus myſteriis. Eſt judicii, conciliare antiquitatis longæ gloriam mundis veteribus. Dicendi nitor veſtigia fandi docet, *admiranda arte troporum. Locutionis arbitrium autoribus nobiliſſimis inſtillavit mythorum uſum, limpidiſſimis fluminibus. In ſimulacris ineffabilis dulcedo antiquitatis.* Rhetores aperiunt, pandunt remotiſſimos orbes, *viribus troporum:* Audire vis, quære.

## *In decimum quartum typographiæ ſeculum, ab a. 2740. ad a. 2840. quo ſaluberrimarum literarum arva jucundius colenda.*

### II. Fucus a viro bono alienus *Αὐδυναῖος* שבט Januarius.

*Obtingit tegmen animo, cum vacat fuco.* Opus *indolis,* genii, oris, locutionis, expeditionis. Sunt in negotiis obviæ *inexploratæ technæ.* Judicium diſtrahitur admodum rapide technis. Agit caro inſidioſe, lubrice, blandimentis, ut paret egregias decipulas. *In fucum animus trahitur, intentione rapiendi, expilandi.* Parantur machinæ implexæ ſubdola captura. Explicantur *ſagenæ,* ad trahendum in *retia;* orbiculi texuntur, uſu aucupum: tenduntur & ſuſpenduntur

duntur *aptæ tendiculæ*, inſciis volucribus, quibus irretiantur tecte. *Novit auceps tegere explicatos laqueos ad venandum.* Abſcondita truculentia aucupis, tectum capiendi artificium. Indago, examen retium extenſorum venatoris, genera novit indagandi, tentandi, ſtringendi, implicandi, decipiendi. Tota expeditio eſt rapiendi exercitium, capere, ſurrigere, officium. Nocere geſtit ingenium. Diripiendi totum ſtudium. Exhaurire, ſubtrahere, implicare, tota rationis ars. Agit maſcule inſidioſus. Sagax ſcit ignorantiam volucris, obſervat nodum. Tutus nuſquam volucris, ſi eum auceps videat. Quocunque recedere videatur, tendicula nunciat volucri decipulam. Expanſa retia clamant: *auceps machinatur, inſidiis ſtructis; ſortem in viſco quærit, in tortis nodis anguſtis.* Munus ejus decipere implicato filo. *Eſt aucupis tentare alimento*, tegere inſidias deliciis. Nunc *eſca viſcus*: ſine ingluvie tentare alienum. Trahit ineſcatum viſcus. Quæſtus inſidioſarum tendicularum *nutrimentum avicularum. Toto ineſcandi ſtudio capit volucrem auceps.* Securus volucris in eſu baccarum. *Edulium laquei: Pabulum ſtrangulatio: voluptas ſubmonſtrata nodus, eſca ſtratagema.* Nutrimentum oblatum, conſilium trahendi. *Expreſſæ ſponſiones inſidum rete. Apparatus laqueorum, viſcus, promiſſiones, opulentæ pollicitationes.* Os ineſcaturo tritico invitatur, deluditur, arripitur, reti tenetur. Satis ineſcatum rapi, oblinitum tecto viſco aufferri. *Trux eſca: ineſcatio viſcus. Eſt aucupium ſtratagema, inſidioſa rapina.* Omne *jus* tendiculæ, nodus egregie concinnatus, eſt recti expeditio. *Amat viſcus quæſtum.* Alimentum tentamen, voluptas bacca, impendium rete. *Tanta ſalus in technis, laquei viſcus.* Sunt nodi *orbes convivii, negotium ineſcandi*, trahendi & ſuſpendendi. *In teſtis jus rapiendi*, evacuandi, potiunculæ miſtis inſidiis: *ſorbitiuncula, inſida rapina.* Ex teſtis ſorbentur operarum promiſſa, adulando, aſſentando, nodos extenuando. *Largi liquores imbuti mendaciis.* In vini efferveſcentis amphoris intritæ technæ, oris, mentis, eloquii, ratiocinationis. Spectantur ubique bullæ in ripis, orbibus, tabulis, varia ambitione. Turget ex ſimpulis infidelitas triumphantium poculorum. In rivis *cave* ſuccinitur, ſorbetur infinities *cave*, ſcriblitæ in roſtris proſunt. Evacuantur dulcidulæ nugivendulæ undæ. Admiranda ſalutis receptacula, ex viſco dulcedo. Animus miſer in nodis aucupii. Retia explorare tecta, laqueos viſcoſos contrectare, invenire fucum, fraudem, inſidias, dolos. Salus in roſtris & tepidiuſculis ſorbitiunculis, obſoniis pocillatorum. Eſt tenaciſſima regula artis, implicare dolos, nectere argute laqueos, viſco mulcere, inſidiari, ſimulare, ſpondere, inficiari, diſſimulare. Ambiguitas, naturæ integritas, mellita expiſcantium grana, albumina infecta cicuta, in fornicibus igniculi, tegulæ rutilantes ardore. Mens unum rete. Arma tecta ex officina proditorum. Angues in receſſu, obſonia tragica, aſpides, rubetæ. Olores canunt, & agunt hiſtriones. Animus innodatus nectit nodos ex laqueis oſtento ſimulato. Totus in vulgo affectus in laqueatis inſtitutis, congreſſibus, nexibus, obſecrationibus, conciliationibus. Expeditio tota ars technarum, ineſt viſcus quicquid inſtituatur. Tanti negotia ancipitia. Sobrietas catilli elementum. Mentis eſt temperies: animadvertit tectas inſidias, roſcidum odoratur thus, videt arcana temulenta, excutit delubra, emedullata ſecreta. Tantus in vita amoris nexus, in lingua cicuta, edulium delibutum melle, interius tota necis eſca, ſub epulo amicitiæ rapina præſentiſſima. Minus animadvertitur invidia, dum juvare videtur. Non inſpiciuntur machinæ, ubi legis oracula ſonant. Nullum odium nominibus amicitiæ incredibilibus. Manſuetudo in nuncupatis officiis. Tranquillitas ex molliſſimo amplexu. Nives in mentione exhibendæ gratiæ. Expectatiſſima affectio videatur quibuscunque. Tegere artis, temperare ingenii, deducere nequitiæ, efficere vafritiei. Mavult videri rectiſſimum obſequium, tenaciſſimum juris, devinctum neceſſariis officiis civium. Superba jactantia rectæ expeditionis, prolixa oſtentatio, moleſta ambitio. Juris titulus ex media verſutia. Tegumentum ſuperbiæ virtutis tegmen, ex vero, recto, exculto, probato. Moliri eſt reperire. Extra timorem: eſt voluiſſe tutum. Ex tuto apparent latebræ. Vſus machinarum in ſimulatione, ſibi ipſi diſſimili. Mentiri eſt totius negotii eſſentia, ſubſtantia, exordium auſpiciumque, rectus progreſſus, medium, & rotundæ orbitæ terminus. Venditata autoritas eſt argumentum venatoris quæſtuoſi. Arbitrium rationis eſt tritura legis apertæ. Terreri, & timere expenſas, docet neſcire odioſam proditionem, ſilere & reſpondere. Effugere artes, conſilii, induſtriæ, genii. Objiciuntur leges, ornat notus ordo, recenſentur honorabiles canones. Juſtiſſima nomina omnia. In tota concione integerrima fidelitas. Æquitas turris inſuperabilis: diuturnus uſus ratio evidens: recepti expediti prætextus, juris vulgares colores. Tanti roborare emendicatam faciem. Sapiens non agit rapide, traducendo. Eſt teneriotis judicii cognoſcere ſcelus aliorum, laxam vafritiem communem ex ſordibus. Artes ſuperbiunt prætextu. Amor lucri eſt ars machinandi. Inſidiæ ſtruuntur ſpe impetrandæ tempeſtivæ opis. Malum eſt reditum non impetrare. Sciſcitandæ anſæ mendaces inveniendi ſubſidia, ſubveniendi intentis votis. Orbari non ſalubre, extorquere rigor. Animus in tanta ambiguitate reprimat gravamen. Æquitas jus manſuetudinis. Iniquum nocere ope turbulenta. Eſt malitiæ, inundare peculium obtentu

reditus tribuendi. Eſt argutiæ venari quæſtum. Eſt lex invicta, bene agere repudiet indigna mendacia, dolus abeſto. Miſera vita in conflictu, in fuco. Efficere negotium eſt belligerare, eſt acerbe confligere, imminere raptui, occupare, tundere, exprobrare, hoſtiliter repugnare. Studium iners trahere raſtro avenam. Obſcura indoles, tegi commentis, inficetis fictionibus. Ingenuum judicium neſcit errores ganeonum, nubit integris, inſontibus, negotioſis, gnavis, attentis, modeſtis, æquitatem vovet quibuscunque. Eſt aperti temperare ſuſpicionem, ex genio æſtimare linguam. Virtus cavet exſerte ſuſpicari. Alterum gravare neglectu, onus luendum. Eſt tenor nativi animi, tegere nævos, & redintegrare exceſſus, reſtaurare aberrationes, pravos prætextus avertere Tendit ulterius: tacere neceſſarium exiſtimarunt, rebus ambiguis ingruentibus. *Genius infucatus, fuco figmentoque eliminato:* candor immaculatus: ſinceritas ſine indiciis corruptionis: inculpata humanitas, temperatum judicium, mitis ſententia: interrogantibus reſponſio benevola, modeſtia verborum, ſimplicitas irreprehenſibilis: linguæ libertas inculpabilis. Sanum judicium, tegmen in vero aſſerendo. Suadere eſt rationis integræ. Verum ex animo indicere valet ſolida ſcientia: ex rationibus oſtendere, integrioris rationis teſtimonium. Suum vero lumen, lex illibata: tueri eſt memoriæ excultæ. Tutela requirit artem, temperandi neceſſaria utilibus. Res eſt delicata. Judicium deſideratur deditum ambiguitati cavendæ. *Nulla animi hypocriſis in ſuſpendendo vero. Oratio libera intra terminos ſilentii, os capax judicii, humilitatis tenax, inhibet myſteria.* Ex vero querelæ. Inter bonos uſus modeſtiæ: eloquuntur decenter occulta. Effundere in rus, aratri notat genus. Mens videt, ratio obtegit. *Tempeſtivam ignorantiam velle aſſerere, modeſtum.* Veritatis robur ore tenetur ſilente. In magnis veritas requirit oris imperitiam. Refert ex tacito ſentire in multis. *Eſt artificium taciturnitatis, effando os premere.* Erat antiquitatis innocentis corona, effari ardua regula generali ſilentii. *Imbecillitas linguæ jus vitæ. In conticendo excellit animus incorruptus,* refrenat os, tegit ſipparío imam humilitatem. Minime vetuſtas culpanda in hiſtoriis tegendis, implicandis, mille ſymbolis veſtiendis. Populus rudis oculis caret, admiratur corpus, extra animi rationisque guſtum. Os indiget gubernaculo in labris effrenibus refrenandis. Animus teſtatur operimentum teſta. *In præcipuis obeſt candor ſermonis.* In rebus arduis, noti gurgites ignorandi, diſſimulandi. Eſt ſcientiæ, immenſum ſcire pontum, in immenſurabilibus tumidis abyſſis. *Res in mythis ſcire egregium, relatio offendit terrore incondito.* Defodere neceſſe omnem conſpectum. *Mythorum vim revelare aperte, lata luſtra incendere.* Miratur vulgus, neſciat interim, gravaretur animus mythorum indagine, teneret nihil. *Integrius retinere eloquium, velis ligare os volubile.* Dicere inventum, quid? In imaginibus conſulendis, ſatis nude inſpexiſſe. Theatra nihil ultra requirunt. Aratro runcandum os. Meminiſſe expedit, memoriam mereri officium coërcendi. Affirmat ratio conſcia: *Aſpiciens ſimulcra antiqua labellum obſignet biblo. Myſteria in ſilentio.* Tempus eſt agnoſcendi, tempus agnita muniendi. *Eſt humilitatis carere ſermone. Admiranda dignitas verum neſcire.* Scio, inquis; cave eloqui. *Habet taciturnitas opulentiam ineffabilem. Libera bucca initium belli.* Si inveniſſes voluiſſes ſilere. Non in ſurdo vulgo refert orare. Dicit orbis: Lumen luſcum oculo privatis. Abeſt ſenſus viſus, lumen videt cœcus in ſilentio. *Salvus uſus rationis, obvolvendis decenter occultis. Ignorantia diadema.* Aliqua tacenda, nonnulla evulganda. Mentis eſt res componere, non incogitanter miſcere. Vni reſpondet os, illi ratio exprobrat peritiam: mixtura informis. Timenda eſt memoriæ vis, nuncius oris jugum grave. *Extremas reticere res eſt prudentiæ.* Sunt verba bona juris nimii. Ingloria gloria infanda reddere ori. Sufficit, *in rebus apertis luce coruſcare.* Supra vires judicii, efferum os reddere plebi. Altis in rebus os tegendum ſtrophio. *Jus humilitatis,* expertæ antiquitatis interiora condere, & admirationis referre gratiam. *Scis jus libertatis, inviolabilem veritatem juſte comprime.* Tuum ſcire eſt aliquid, in nullo omnia. Gnarus originis eſt hoſpes taciturnitatis. In dicendo odium juris ſignificat expeditionis hoſtem. Aliquid tacuiſſe, omnia tenuiſſe. Opus prudenti obſequio conſcientiæ. *Silentium* obſtruit vulgi querimoniam. Exactæ antiquitatis intimas rimas tenere, a poſſibili alieniſſimum. Inſignia liquida. Jubet veritas intelligere comperta. Aſt totis orbibus geſta expromi nolunt. Sentis, verum ſenſiſſe, olfeciſſe, inſpexiſſe, guſtaſſe, intellexiſſe, *liqueris egregias reliquias.* Ex vero *quidquam* imbibiſſe bene valeat. Sunt vetera longe illuſtriora toto ſole. Tantundem neſciendum eſt; *ſat ſcire interiorum viſcerum tegumenta.* In *theſauris* ſervatur numerus inſignis electiſſimarum rerum. Aliqua tangere operta negat arcanorum tutor, afficiuntur flatu. Temperantius & abſtinentius inſpiciuntur, tactu omiſſo, *gemmæ.* Et novi & veteres Quirites mirantur umbram rerum admirandarum. Eximiæ ſolertiæ, attendere colores, effigies, autoritatem regiam, *gemmarum.* Splendent effulgentes blandientesque *rubini*, urunt mentemque uſtulant *carbunculi*, *jaſpides*, *hæmatites*, *electra*: valore, nitore, inenarrabili. *Effigierum* tempe, conditoribus excellentibus, temporis antiqui: reverenda theatra *ſtatuarum*: numeroſa oſtenta *monumentorum, artificialium* ramenta: *cochlearum* aurea ſpectacula: *ambra* læviſſimæ leniſſimæque illecebræ: *numinum* ima-

gines

gines & *deorum* nuncii inviolabiles : beneficia voluptatis ſacræ *nummorum* opulentia numeroſiſſima. Tantæ nubes vetuſtatis remotæ ex ultimis terrarum oris, populis. Numerus omnium nullus, ſuperfluitate inenarrabili. Nuncii ex cultis ſeculis, numero infiniti. *Stilus vetuſtatis par.* Rutilat ornatus compoſitionis. Excellunt *lumina imaginum*, vividiſſimæ *ideæ coronarum*, exempla auguſtiſſimorum *triumphorum.* Invictarum *urbium*, argutiſſimorum *exercituum*, aſtutiſſimarum *conſpirationum ;* exercitatiſſimarum *artium*, religioſiſſimarum *gentium*, exactiſſimorum *autorum juris ;* rhetorum oratorum templa ; *ſynedria* inclyta, *hiſtoricorum* tabulæ. Eminentia *ſimulacra ſeculorum elapſorum*, orbium immortalium, gentium ingenioſiſſimarum, locorum & regionum exuberantiſſima armaria. Inenarrabilia commoda expolitiſſimæ antiquitatis. Reverendiſſimarum Gratiarum ampliſſima tecta. *Omnia troporum ornatu glorioſiſſima, rhetorum eloquiis decoratiſſima. Oratio veterum quæſtuoſiſſima.* Oratorum imagines gloria ingenii, lumina excultæ rationis. Symbola in ſtatuis, piramidibus; in effigiatis numinibus os impigrum, genius imperterritus, lingua expedita, ratio ſedata, conſilium emaculatum. Eſt religioni, exilio legare lepidiſſima oracula, tollere affabre nexas icones, comprimere ſacra Apollinis faſcina ; Saturni, Jovis, bella, eripere labris plebis. *Mythi univerſa*, rationis oſtenta, judicii reliquiæ. Ex troporum ſyſtemate *ineffabilia myſteria.* Reſponſa veterum, terribilium numinum eloquia, robuſtiſſima effata, *digniſſimæ imagines viſæ, expenſu, ſollicite ſpectatu, animadverſu.* Lactea affabilitas poetarum, oris reverendi pulchritudine, digna invidia. Videatur quæri eloquium neceſſarium tantis negotiis vivide recenſendis. Ex veſtigiis nota indicia tantarum emaculatarum rerum. Eſt trames cognoſcendi, noſcendi *antiquiſſimam ſemitam mythorum.* Effigies rerum breviſſimæ, eloquentiæ lumine effulgentes, clariores ſolis intuitu. Lapides orant, dicunt infanda, ſermocinantur concinniſſima, eloquuntur modeſtiſſime, vident rectiſſime, os referunt candidiſſimum. Agunt ſacra manſuete, vocant leniter, injungunt temperanter. Saltus oratores inclyti. Tripudiant nemora, & loquuntur infeſto ſibilo. Emoti venti inquiunt, tonant nubibus excitatis denſiſſimis, urunt, radunt, perdunt. Rhetorica *ventos* tacite inſtruit, genio imbuit, oſtentabundo. *Tonitru* oratione valet, eloquitur duriter, operoſe, rapide, prodigioſe. Imberbes Sirenes, cantatrices expertæ, ludere peritæ, muſicæ amantiſſimæ, tentarunt nectere Vlyſſem ſtrophis, munuſculis ei nuncupatis. Os incredibilis ſuavitatis, arma canora continui officii. Stratagemata in Creuſenſibus, exercitia armorum reipublicæ græcæ. Sonant infeſtiſſimi Cerberi, in limitibus blæſi urentis Plutonis. Symbola univerſa bellorum, emotionum, revolutionum, terrorum & ſervitutum, urbium Bœotiæ, imaginibus brutorum roſtratorum validorum. Juvat dicendi noſſe autoritatem, libertatem, voluptatem, delicias, ardorem. Sine imaginum notis abeſt cognitio reconditorum arcanorum. Eſt antiquiſſimum inſtitutum rhetorum, oſtentis troporum ſignare inſtituta heroum. Simulacra in tropis armamentaria legum. Vmbræ mythorum inſignia ſtatuum. Signa in deorum ſtatuis inſignia ſapientiæ, ordinis, in gubernando, in legum effatis religioſis. Subſtantiæ in nullis horum : civitatum & territoriorum ſignacula, imperio heroum. Signa, imagines, tituli, indices, notæ, gubernatorum, orbe coronato : Suprema adminiſtratio regnorum, regionum & terrarum. Mythi urbium rhombi, orbis circuli, expeditionum ambitus, regia gubernacula. Regula experientiſſimorum poetarum, ſolis imitari lumen, in virtutibus ingenuis celebrandis. Splendent imagines numeroſæ in mythis, imaginibus gregum effigiant regimen magnatum, effigie inclytarum gentium. In fabula fulgidiſſima effigies expeditionum ſuperbiſſimarum. Symbola, ex mente autorum, regiminum compages, adminiſtratio ſocietatum, magiſtratuum actus publici, magnifica oſtentandi pompa. Sunt in theatris aulæa fortunæ tabulæ. Evehuntur, ſubtrahuntur, implicantur, intenduntur, trahuntur, officia gubernaculi. Ex negotiorum momentis uſus rhetoricorum ornamentorum. Luſus lepidi indices ornatarum rerumpublicarum, præſtantium uſu negotiorum. In Saturno eſt auguſtum imperium Coroneæ. Ex amplis regionibus græciæ nimbi imaginum maximarum urbium: in tanta natione effigies geniorum. Tenes effigiem, magnam urbem intueris. Breve roſtrum, urbis magnæ vulgus. Generale eſt rhetorum effatum, *ſimile ſimili.* Effigies ſcenarum exactiſſima, nitidiſſima, inexplicabilis gaudii artificium, modeſte imaginari, digna explorando ſimilia. Mythis ubertas ingenii, theatrum negotii, apparatus legum, voluptas plebis. Exime theatris effigies, manebit una ignorantia triumphorum. Non eſt deſidiæ emetiri ſimulacrum. *Summæ induſtriæ, lineas penetrare metamorphoſium.* Eſt tempeſtiviſſima notitia imaginum. Mutat venuſtiſſime rhetorica, arte negotioſiſſima. Oſtendit ſimilia, reapſe effigiando permutat. Eſt rhetoris, ratione efficere, formare. Suſpecta ars incantandi : tranquilliſſimum negotium applicandi. Transmutat ſimilitudo. Bene vertit ſubſtantias navus orator : Negotioſiſſima ars noſcendi imagines; *comparatio, ſagaciſſima ars faſcinandi.* Aptum judicium effigiandi bene eſt ludibrium plebis. *Metonymia* univerſalis regula addendi & demendi. *Tropus* eſt mutandi virtus. *Rhetorica opulentior eſt diis : Agit in numina : Mutat omnia.* Tutum nihil, volente rhetore. Ex dis ibes, volu-

cres, reges ex plantis. Triumphant nubes voluntate rhetoris. Amas larvas & velamenta, age rhetorem; tenebis artem ex homine trucem taurum efficiendi. Aptatus taurus prudentiſſimo Jovi. Ritum commutandi ſcis, ſi intelligis humaniſſimos tropos. Intelligis mythos, ſcis immutandi myſteria in ſimilibus. Simile incantat. Comparatio aliud gignit. Argutiſſimæ ſcenæ metamorphoſium, una regula autoris. Immenſurabilis regula, exſtruendi tropis ſubſtantias, immutandi machinas. *Mythus* eſt numen, optime intelligens tropos, infinita nova generat, omnia comprehendit: ingentia theatra condit, ordine diſponit: ex reconditis invenit condenda. *Stilus orbis rota.* Ex uno innumera. Belliſſima in ſimillimis. Teruntur nova, vetera redeunt. Ex ſentibus caricæ. Ex tauris elephantes. Doctus mythorum interpres tectam artem laxa ligulis illigandi, gnarus in ſingulis ſortiendi artis. Res componit, aſtrigmenta ſolvit. Scit artem nectendi, intelligit horas conſociandi. Artificium mythi, ſumma imis ligandi, pauca multis explendi. Tripudium tropi, exultare ſymbolis. In novis antiqua format. Novit in ſacellis antra, tecta nebulis extremis, luminis uſu dempto. Vna autoritas revelandi fraudem. Arcanorum religio vera cura mythorum venuſtorum. Inexſtinguibile lumen abſtruſarum rerum, uſus troporum. Amat natura mythos, ubi res ex rebus trahit. Eſt eloquentiſſima antiquitas in mythis; orbis novit orbes, rigida troporum ſemita. Antiquitas tropis eſt nata, invenit viam quæſitam. Anima in delubris vivit troporum ſtudiis. Eſt arcaniſſimis imaginibus geographiæ ordo, locis obſervatis, notatis originibus regnorum, heroum, coronarum. Tropi exhibent elementa artium imperandi. Hiſtoria potiſſima aperit res græcorum, omnes eminenti gratia ſacrarum imaginum: ritus & tractatus emaculatæ umbræ. Ex ambagibus involucrisque rituum, oſtio troporum ſemita in hiſtoriam. Tenebræ, niſi vegetus rhetor afferat rhombos troporum. Eſt negotium experti poetæ. Stilus univerſus ſacer ſimilis eſt cordi ex receſſibus mythorum: venuſtas dictionis unus argutiſſimorum rituum fons. Scis inſtituta rhetorum, capis arcaniſſima ſacra. Niſi in ſacris orent mythi, in tenebris nihil intelliges. In ſymbolis univerſa. Simulacris jus luminis. Vſus corporeis oculis rudis venter. Totum negotium ex rhetorum eloquio. Luculentiſſimus ornatus compages ſymbolorum, concilium effigierum. Eſt artis, noſſe intima ligamenta plicasque in concinniſſimis ſacris. Inenarrabilis diſciplina troporum. Evolvere ſacra eſt troporum reſciſcere auguria. Tecta veritas ex anguſtiſſimis tenebris rectam originem ſumit, caligine expulſa, tropis nativo uſui ſervatis. Amœna indago, comite eloquentiæ arte, refert gratiam numinum, in extremis adytis reconditorum. Ex tenebris in lucem. Munus interpretum negotium eloquii. Mythos audis, veritatem quæris, tropi ſolvent opertiſſima penetralia. Excutere receptiſſimos eruditiſſimosque commentarios, ultro docet orare: Rhetorica prome arcana, redde tropos, aut exulabit hiſtoria tota. Niſi in tropos eat niſus interpretis, vane quæret explitionem, reique enarrationem. Nihil auguſtius compage ſymbolorum in tropis. Primum in rhetoris captu, ſecundum ſcientia imaginum. Continget inſperatum lumen, bene univerſa procedent. Mundus volvitur recto ordine, ex decore. Animadvertuntur initia regiminis ex tropis, ſymbolis, imaginibus, mythis. Tenebræ niſi veniat rubor ex ſole. In mythis rutilantibus exterminium tenebrarum; nihil intempeſtæ noctis; obiit nox, in ipſis confiniis ſol, noctis obex. Conſcii mythi uſus rationis, ordinis naturæ, arcanorum compitorum. Ratio arguit, mens videt, rhetorica ornat, tropi infundunt decus. Nihil obſcuri. *Congruentiſſime*, exclamat ratio: *exactiſſime*, judicat cognitio; *apertiſſime*, infit judicium: *nitidiſſime*, effatur genius: *nervoſiſſime*, inquit oratio. Rigidiſſima profeſſio troporum, effigierum, imaginum. Terribilis imperitia. Ruſticus expers profectuum. Judex diſciplinæ notitia eloquii. Conſidet in dumetis, ſymbolorum ignarus. Tropos ruſticitas arat, & aratro tentat, expers operæ palmariæ. Aratrum excutit rationis exercitium, terræ naturam ignorat. *Metallorum venæ* troporum naturam effigiant melius, integrius, negotioſius, verius, modeſtius. *Sericum indorum* delicatius, venuſtius, admirabilius, rutilantius, fœcundius. Mel uberrima imago, tropus; nimbus eſt lingua in ſorbendo. Mythi vinum *refocillat*, corroborat, attemperat, ſanat. *Saccharum* in tropis, *cruſtulæ* excoctæ, *tigilla* edulcorata, deliciæ mentis, voluptas rationis, *orbiculæ* emollitæ. *Sirupus* volupe: *bellaria* inter dapes: *unguenta* animo reficiendo fragrantiſſima: *ſcriblitæ*, ex variis generibus nucleorum: impinguatæ *placentulæ*; menſæ vapor *rorismarini oleum*: *lactis* ubertas, cum *juſculis* fortibus, in rivis *catillorum*, ampullis ſalubribus. Tanta exhibenda reverentia eximiis tropis, rationis epulis, veri emolumentis. *Sapit antiquitas ſuccis, natis ex mythis.* Arabiæ roſea *aromata*: acceptiſſimus *ſuffitus*, Rationis experimenta, vero explorando. *Eſt naturæ optimum jus veritas.* Quicquid ex ſcientia boni oritur, in literis invenit vitam. Ratio ex ſervitute redit, ut tranquilla evadat. Recti examen naturæ eſt tutamen. Ex tempeſtate aura tendit in liberum vultum. Difficilis experientia ratione confuſa: In denſis virgultis rus nidum invenit. Servit bonitas ex lege plebis. Temperata *veritas* tranquillo exercitio rationis. *Eſt dulcis opinio rudi populo.* Mentis veternus. Rapitur os rancido contagio argumentorum ſoporatorum. Mille verbis rudit, omnia neſcit. Arma canit, robur abeſt. Mel, vinum, lac in hara. Libertas eſt velleris. O-

mnis doctrina non animi, tantum in ſtrepitu, ſine uſu mentis. Lingua eſt volutabrum, ſordibus inquinata. Vox querula ex nebulis. Sues ubi boli. Ingurgitando liberales. Animus totus in paludibus. Agendi cautio timor. Nihil ultra raptum. Ex veterno aſſurgere cautum. Satis in tribulis conſidere, in diſciplina exauctorata. Senſus ex præpoſtero judicio. Conſtricta natura imbecillis rancidis præjudiciis. Mens valet religioſo ordine recepto. Conſuetudo abundantiſſima ſalus. Minæ unice ducunt nequitiis exercitam gentem. Nihil agit ratio fracta. Sponte in nullo integro. Male ſponte. In legibus latebræ. Virtutis nihil. Tenax indulgentia vehit ſoporem. Obdormiſcit propriæ mentis imperium. Manſuetudo valet, indulgendo. Tanti neſcire eſt. Licet in ſilentio. Satis in hora aliquantulum tenere. Intereſt noſſe generaliſſimos ordines ceremoniarum. Surdis verba bona. In concilio animus generoſus, ambitioſus, ſapiens. Sapiunt vinum bellariaque. Jus tranquillitatis noctibus. Enixum deſiderium vivendi raptu prædisque. Sinceritas in rivis, in vino. *Omnia nihil. In colore ſalus, animo fucato.* Senſus in bullis & levibus plumis. Os veri neſcium. In thorace nugæ. Optima conſilia nigra. In armis jus. Regit os loquax gloria. Ex nuda opinione integritas. Gratia illimitata licentia exorbitandi. Ratio, ſervitus carnis. Ex malitia univerſum jus tractandi negotia ex genio.

Scr. in acad. Jul. d. 19. Martii 1740. & 20. Martii: *Oculis opus.*
Servit uſui honeſtas. Plebs execratur ſervitutem, oneris impatiens.

*Diffugere nives*, a fontibus congelatis; *redeunt jam gramina*, ſcopus reconditus, *campis*, mythis, ſumptis ab agris, hortis & vineis: *Arboribusque*, ſymbolis veterum, petitis figurato ſtilo a ſylvis & arboretis, *comæ*, florentiſſima innata ſententia, tropis & figuris cincta.

*Mutat terra*, paradiſus, *vices*, *& decreſcentia ripis flumina*, Tigris, Euphrates, Piſchon & Gichon, *prætereunt*, pro geographiæ & chronologiæ luce & calore.

Ex nova nive, *æquinoctio verno*, in naturæ renovationem, regenerationem, reſuſcitationem, reſtaurationem omnium, ex morte in vitam; creatione nova, cœlo novo terraque nova, homine novo, ſpiritu novo, mente nova, omnibus novis, veteribus cum nive abolitis & abſorptis, ſole congaudente. Non corporalia, phyſica & ſubſtantialia, ſed ſpiritualia, moralia & civilia, in publicæ rei ſalutem.

*Ανακαίνωσις, ἀναγέννησις, ἀνάςασις, ἀποκατάςασις πάντων, κτίσις καινὴ, ἐρανὸς καινὸς, γῆ καινὴ, ἄνθρωπος καινὸς, πνεῦμα καινὸν, νἓς καινὸς, ζωὴ καινὴ, πάντα καινὰ, ἐν καινότητι πνέυματος, καὶ ἐ παλαιότητι γράμματος, τὸ γράμμα ἀποκτέινει, τὸ πνεῦμα ζωοποιεῖ.*

*Manſuetudo emendationem texit*, venuſtatem largitur, aptitudinem ſuſcitat, improbitatem exſtinguit, res egregias apparat, concinnitatem invehit, legibus bene vertit publica; negotia innovat, apta inſtituit; lætus inhæret virtuti, inimicos conciliat, torpidos excitat, auſteros inclementeſque lenit, audaces retinet, obſtinatos mollit, afflictos innocentes liberat, adhortatur vagos, temperat immites, reficit imbecilles, pollicetur ſollicitis, delinit efferos, ſedulos adjuvat, ingenuos laudat, aberrantes invitat, terret nocentes, abſterret truces, ſervat bonos, vocat ſecuros, tolerat excordes, amat compoſitos, inſtruit ſimplices, impertit honeſtis præmia; agit juſte, liberaliter, attente, recte, obſervanter; *propoſitum rectum obſervat conſtanter, nequitiæ operam negat.*

## *In decimum quintum typographiæ ſeculum, ab a. 2840. ad a. 2940. quo argutiſſimarum literarum arva operoſius colenda.*

### 12. Solertia. Δύςρος אדר Februarius.

*Solertia animi infundi debet in ſinum nati infantis.* Trames *educatio.* Serit *eruditio* diligentiam, vegetum animum reddit *formatio.* Res exercitio perficitur. *Originem* interim tradiderunt, alma lege infantum, *parentes, ſecundum conſtitutionem eorum.* Seges amat leges. Vndæ profluunt ex rivorum exordiis. *Parentes* ordiuntur, *inſtitutio* texit, alit *inſpectio* prudentum, ſuffulcit *cura* expertorum. Auſpicatur telam *inclinatio.* Vita noſtra in ſanguine. Venæ convehunt undas fortunæ. Admittunt *radices* alimenta. *Natura* in ſegete, ut connaſcatur originalis forma. *Avena* in vulva. Matrix accipit indolem *tritici.* Inſita *leguminibus* anima materna. Ducuntur ad arborum naturam agmina *lupinorum*, *piſorum.* *Abietes* induit toga natura. Emergunt cedrus, *ilex*, longa *malus*, ampla infrugifera *tilia*, ingenti vaſtitate *quercus.* Eſt natura diribitor. *Alites alii*, infinito numero, ex venis. Munus varium ratione originis, turmæ *apum*, *cicadarum*, *coturnicum.* Exercitus *pecudum*, *aquatilia*, *roſtrata*, *amphibia.* Singulis natura *animam* vovit, tribuit *ſemen* evidenter aliud. Minime valet ratio tentare *naturarum auſpicia.* *Species* innumerabiles naſcuntur omnium intra *genera.* Imperveſtigabilia ligamenta ex *radicibus* reconditis. Exſertam texturam noſſe eſt venerari. Agnoſcimus noſtrummet ortum. Bene. Meminimus unde. *Indolis varietas inexplicabilibus circumſtantiis.*



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/47 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

Mens una: *differentia naturæ* examinis interminati. Regionum variarumque gentium indoles *linguæ balbutie* aperitur. *Diſcrimen* adverſorum. Alia natura *indorum*, *meridionalium*, *auſtralium*, *borealium*, intra lineas. Orbes integri, geniis incredibili laxitate excedentibus, remoti. Orbis dat integris populis unum *colorem*, *album*, *nigrum*, *varium*. Secernuntur integris *temperamentis*. Alii tardi, plures veloces, longanimes, obſtinati, voluptuoſi. Sol imbuit rore oras, denſat regiones ardore. Alia ratio arabum, nigrorum, in ſinubus indorum. Nusquam una mens. Millenis ordinibus contrariæ machinæ. Vna regio adverſa ſitu. Sylveſtris indoles nota omnibus: humanior, temperatior in plano. Regna ex territoriis norunt eloquii *varietatem*, *temperamentorum & morum*. Ventorum, rerum, oppidorum, effluviorum, *diſcrepantia*, alterutris legavit variatum genium. Afri truces, orientales voluptuoſi, ſagaciores inter nos occidentales. In gentibus iisdem longiſſima eſt *repugnantia*. Extitere ante nos artificioſiſſimi græci, aſiatici prædatores. *Athenæ* ſapientiores. *Roma* expeditior. *Volubilitas ingens nationis unius*. *Ætas longo uſu conficit orbem politiorem*. Talis eſt *ſtatus adverſus liberorum unius parentis* ejusdem domus adoleſcentis. Satis, ex capite oriri *vocem*; ex alma matre in ſinu *ſenſus* infundi ſoboli. Origo in generatione: *indoles liberorum ex ratione ſatorum*. Ex conceptu vis animi, faciei, deſiderii, affectus. *Mores univerſi referunt ortum*. Labuntur undæ circulis. In fontibus initium. Rus concepit *avenam*, ſeges *avena*. Indolem *triticum* non exuit. Lex una proventus. Obſunt multum *venti rigidi*, oderunt eventum. *Diluvia* ſorbent, & illapſi *rivi* verrunt ſegetem exhauriendo. *Mavult uterus dolium naſci*, *adeſt*. Inebriatur tacite anima ſitiens. Similia omnia vota reſurgentia ex ſomno. Eſt volupe *montem* oriri, rus omne redditur tempeſtive *ſylva*, altis excelſisque dumetis. *Matrix una rapit ornatum*, *eſt dedecus*. *Tanti eſt matris uterus*, *dat*, *negat*, *animos*: lædit, juvat, perdit, ſuſcitat, conſervat, exſtinguit. Damna adoleſcunt, origo in gremio. In limite eſt regionis meta. Vltra inſtitutum terminum non eſt gradiendum. *A termino opus totum*. Oſtium dat negotio anſam. Rivus venit tramite anguſtæ ſcaturiginis. Eſt noſtrum recipere arma carnis avitæ. Libuit licuit. Inſcii venimus officio boum. Omnes recipimus voluptates avorum. Temperantia ex aperto poculo? Obeſt rationi venter expletus. Tanti, erui ex voragine. Omne bonum ex vero ornatu. Initium origo. Roſa propullulat, oſtendit tulipa nativitatem. Ex marino rore ardor. Salvia, caſia & menta, & vivaciſſimi odoris baſilicum, initiant torum odore delicato: reſurgit ex cardamono amœnus ſapor. In violis obſervantur bulbi. Tumet inſtinctu limpida vitis. Tenet blanditias olea. Sapiunt in viridariis inclytæ caryotæ. Spargit oriens balſamum. Matrices ubique in virgulis, in caulibus. Menſium elapſu tempeſtiva aura trahit rotam. Ex porta venit ad partum. Nihil in mente ultra reliquias oneris. Eſſet dignum, ſolvere vincula ſervitutis, *concepto voto libertatis*. Mens vovet, rus eſui, pravitati uberibus apparato pabulo. Exhibito alimento, nutritur indoles lacte. Videatur candor. Orta in gremio indoles ligatur; eſt retinenda verſus tempus adoleſcentiæ. Res apparet præcipitii. Plurimus apparatus mundi, venuſtatis, religioſo ordine munditiei. Vrit forma. Tangiturne & mens? Vexant igniculi nutricis: genium inſtillat, opplet tecto ſobrium amictum veneno, miſcet amorem. Tanti neſcire infantem mentis veneres. Res oculorum & dulcium amplexuum. Suffulcire, roborare, erigere, vertere infantulum, niſus unus. Adeſt loquendi voluptas, balbutiem amat puerulus. Mollities ubique. Rude os ediſcit dicenda. Adulandi regulæ ad palpum. In palpando obſequium. Diſcunt aures audire inficeta, ludere venere, convitiari, exprobrare, poſtulare. Alunt ubera ſervitutem, ex ratione exulat libertas. Vitia tenent bellula obſequia. Abeſt rationis officium. Cunæ exclamant; poſcunt, ſenſus belligerant. Eſt lepida pugna. Strepere undique tutum. Evomit os convitia. Mentis unum robur oſcula. Confirmant ex plauſu indolem ſuam: in nullo non obſequium naturæ. Supereſt vanus timor. Lingua vulnerat carnem mollem. Vlciſcitur recens os exprobrationem dedecoris: ſpirat voces, trudit, offendit, tundit. Animus redit ad horam. Mens valet ruri, alitur laſcivia, ornatur contentione. Initium tardum ſuccurrendi, voluntatem refrenando. Sic componitur educatio. Senſus expoliuntur diſciplina, ut caveant errores præcipites. Tenerrima eſt rationis exulis cura. Serius officium proſpiciendi ætati venturæ, quærendis alimentis rationis. Animus adolevit, ratione abſente, valeat animus. Adoleſcentia tunc non eſt memor rationis. Adolevit truncus & ſtolones excreverunt. Grex ex rudibus gregibus. In limite vitæ præſtat ornare præludium. Tempus negat exordium, reapſe elapſum. Lux prius ſplendens cunctantior exſtincta. Senſibus animus valde quaſſatus arcet rationis autoritatem. Nulla integritatis ſuadela, ex conſuetudine uſuque admiſſo fuco. Mens amore ineptiarum tenere neſcit eloquii lucem. Vſui placet otium. Imbuta lingua vulgari petulantia, ornatum propulſat: mens, ubi? Dedidicit natura exaudire imperium rationis. Valeat amor honeſti, ſuccumbat cura egregii. Damnata adulta mens ad raptum aſſuefactione diuturna. Apte arare rus eſt neceſſe, unde meſſis. Muſtea vinea in vitibus incircumciſis. Coaxantes in luto volunt cœnum, oderunt loqui. Murmurantes urſæ reſpuunt os loquelæ,

uſum

uſum colloquii. In furno ignis refert cineres. Arma ſumpta ſero exuuntur. Robur turbinis neſcit effugere ventulum. *Sero*, ubi bullæ exſpirant, *Phryges ſapiunt*. Senium in tumba cavet arbitrium facinoris. Termes, extra ſectionem infrugiferi ſurculi, ſucco imbuitur minus: obtorti ruunt palmites. Succidenda vitis barbara. In tempore runcatur ager. Eſt longus lentor initium morbi. Sanandum vulnus linquere uſtulat pectus, oppletum pure. Sopor veterno teſtis incumbentis cachexiæ, corde anguſto. Ampla dilatio negat effectum. Ruſtica eſt fortuna ſautura olim. Sera induſtria invento damno. Agit ratio exercitio noto, vult maturare. Ambæ manus in ſomno ſunt intori vinculis, aures lugent, detrectant auditum. Recte artes tractantur civiles ex nutu: mens vult doceri. Notitia artium bene inchoatur longa expectatione dilationeque: Tenerius eſt ſtudium expurgandi pectoris, animi depurandi. Mens urget diſciplinam, non admittit tramitem ſentibus vaſtis gravatum. Diſciplina animi maturrimam arceſſit ſollicitudinem: neſcit exitioſam moram. Morbus urget rectam opem ex digno deſiderio adjumenti. *Matura*, vox locuples, *veni*, *perge*, *obſecro*, *propera*. Mature vult depelli noxa ex integra civitate: in lue lentor eſt propulſandus. Mens vult duci niſu admodum tenaci, informatione vocali, nutibus impenſisque monitis. Vox diſciplinæ navitatem amat conſtantem, oris vigilantiam, dicendi autoritatem. Socordia eſt luctus initium: crux animo fucus. Initium rei cœca abſtinentia ſopitum impedit recti tenorem. Sero in nihilum. Inſtat maturrime, morum vigor, rationis orbita, exercitationis ſeries, expeditionis robur. Ordo judicii ſpiritus opus, lumen voluntatis gerit. Ingenium non differendum in vagas querelas. Ingenium judiciumque deſiderant indefeſſum ſtudium, oderunt languorem, vitant gravedinem, amant laborem, vident gratiam. Animus mature imbuendus ſobrietate, ſolertia, indefeſſo ſtudio ordinis, ignem gerit in labris & renibus. Nusquam in otio juſta gloria. Integerrime, lubentiſſime, expeditiſſime, rectiſſime. Agitur in luce, obſcuritate pulſa. Solis in lumine vigor propoſiti, operis præmium. Maturrine vocat ratio obſides naturæ actionis fomenta. Tempus eſt mentis uſura: ratio aſſervat ſeriem numerumque exercitiorum millenorum. Studium opportuniſſimum, voluntatis regimen, eſt ſerium, tenax, expeditum, ſolers, officioſum, rectum. Triſtis ſævitia in niveo inſtitutionis munere nusquam. Integerrima modeſtia vehit ratum ordinem edulcorandi diſciplinam. Subſidia orationis, repetitio, obſervatio temperata. Diſciplinæ autoritas ſuave os, niſus orantis, rogantis, hortantis, teſtantis. Difficilis aſperitas ſervilis odit concinnitatem oris favorisque. Durities aſpera ſubruit animi rationisque attentionem. Debilis ætas avet reverentiam exhortationis, nuncii venuſti munifici. Infantiam, juventutem, docet temperies, nec elevat rigor & carnificina. Sint, eſt triſte, indigna diſciplina, ſervilia ingenia, nequitioſa, ortu bruta, mittenda utique raſtris. Omnis labor longus illiberalis; ſtipites, caudices, eant. Trunci urendi. Sunt, eſt verum, in civitate ſerpentes, eſt thoracibus innatum virus. Inſtitutio dolabram ignorat. Terror unum ſubſidium cavendi exceſſus. Repetitus vanus terror naturam exhibet refractariam. Avi tales excluſerunt lapides: pueri vulpes, canes, olores loquaces. Illi, lupi, urſi, porci. Omnis perit adhortatio, infelix temperies, abſona reverenda gratia. Inepti, ſuæ internecioni nati. Nequitia onus naturæ. Juvenes venuſtiores quæruntur, illis judicium debetur, ingenio liberali venuſtandi, curate recteque edocendi. Perpurganda voluntas ac perpolienda. Servis in civitate ex abſurda fæce, evacuare bullas & lingere pocula, ſubducere, capere, effreni temperamento. Eſt modeſtior vultus juvenum venuſtorum, judicii comti, mentes vegetæ, temperati animi, nati gratiæ, amori, manſuetudini. *Metus* urit protervos, indociles, corruptos, nebuloſos, iniquos, raptores, propudioſos. Minæ urgent genios effrenes, rancidos. Aliquid interdum terror novus efficit. Cavere incipiunt fraudulenti, immites, non vertunt mentem. Sævitiam interius tegunt, advocant latebras, blandiuntur officiis, ſimulandi uſu beati: in riſu execratio, nuncius veri mendacium, ſinceritas compoſitio errorum. Ex vero querelæ. Manſuetudo viſcus. Reverentia artificium eludendi decipiendique. Manus utraque rancor, odium & dolus, ſervi ex pectore, apti damnis. *Solertia indiget bonitas* ex lege publica. Mentis eſt tueri autoritatem temperantiæ, providentiæ, venuſtatis, lubentiæ, ornatus, veritatis. Nequit inſpicere in corda, in ſenſus vafritie munitos: Suſpicandi exercitium relictum obſervationi. Tutum neutiquam aperte contendere. Eſt animi temperati, exſpectare ordinem praxeos. Sugillationem, exprobrationem, turbas, odit: dolos reverenter expendit: culpam amolitur ſedate. Eſt anguium, viperarum, inſidiarum, vulpium, noctuarum, onocrotalorum, conſcius. In ſimultatibus videt fraudem, fucum, effugia. Munit vultum rubore obſervantiæ & decoris, ſervat eloquium, donec utile animadvertat loqui. Nititur innocentia. Sagax videt blandimenta, in nive os, in titulis acetaria, molles amplexus, largas commendationes, cumulatasque acclamationes. In limbo laxi exhauſti pectoris opprobria plebeja. Interius demiratur improbitatem, proterviam, viſci tenacitatem, ſuetam ſordium immunditiem. Texit conſiliis expetitam tranquillitatem. Exprobrationes nubit in ſinu. Audit, intelligit, diſſi-

mulat, velat peplo, incolumitatis reveretur tribunal. Scit veteratorum technas, novit argutulorum cavernas. Turbines extenuat, ſtrobilos avertit, tempeſtates propulſat, vehit lucem ore vultuque. Ex artibus conſcius inſidiarum *ſilentio vocem munit*, concinit expertis, *Neſcio*. Modeſtiſſime eſt parcendum ſuſpicionibus. Sæpe videt tempeſtatem ſol, urit generoſe. In littore undarum diffluunt ingentes clavi lignorum; *vadunt dilapſi.* Multæ evaneſcunt nubes, aura neſcit illas. *Non intereſt, amaras injurias recordari; eſt deliriis indulgendum, ſtultitiæ exemplum deridendum.* Illaudabilis lingua ubi propudii opus proprium. *Admodum caute continenda incorrupta ſinceritas.* Spes voveat bene improbitati, temulentiæ; non animus deſerendus notandi verſuros, ſubdolos, captioſos, enormes. *Secula indigent luce, uſus candoris obſolevit penitus.* Ex vano, quicquid mentis venuſtatem refert. Agere ex decore, mentis vulnus. Ratio odit elogia decoris. *Simplicitas* inſignitum *integritatis vocabulum*, inter viles notiones. Optime conſentit *nauci integritas.* Affirmare inficiari ſolenne, ominari recto bene, meritum amplum: teſtari & revocare, artis teſtandi, concedere eſt negare. Ex amœno rude, admirandum horrendum; ſimulandi jus benevolum, ex lacte pluvia: ex argilla rubrum aurum, mel viſcus, rigor oleum, exprobratio decoratio. *Ave* vir, *cave: ſalve* amice, *pave: Surge, i,* bile: *exulta*, lugubris *plange.* Eſt antri, *cavere:* eſt orci, *conqueri:* eſt auræ *nix*, eſt orbitæ *cœnum:* multa *videntur*, regnat *opinio:* eſt *dulce ex amaro;* ſuavis *odor*, lutoſus *udor;* gremium, magna aſpidum turma. Ridere videatur theatrum, execratur riſum ex trepido timore. Immitis miſeratio, dubioſa admiratio: ſegnis alacritas, lutoſa venuſtas, propudioſa elegantia. Mutatus univerſus rerum ordo: ex dulci ſaccharo acetum: donare nunc aufferre, largiri prædari, monere exterrere, tueri nocere, ornare collutulare: Dulcia amara, emedullata acerba, veſtigata quærenda: ordo in divortio, via avia: gaudium ſingultus; imprecatio benedictio: ex levi ponderoſum, ex alto demiſſum: nihil uſura benignius: adverſatio reverentia; injuria miſericordia: dejicere attollere; mittere vocare; complecti ejicere; augere imminuere; cogere indulgere; lenire exaſperare; dominari miniſtrare; urgere remittere, admittere execrari: dimittere ſuſpendere: expreſſis rebus extremis negare initia continua: accuſare laudare; vellere blandiri: aſſentari prodere: mille unum; rectum obliquum: exordiri deſinere: agere requieſcere: exire venire: actio deſidia: *adverſa cuncta*: mori vivere: reſpondere obmuteſcere: emundare denigrare: Ex aliquo nihil: ex oleo cœnum: tenere elidere: abolita integra: diſerta nugacia: ad raſtra palatia: ſcelerati viri, boni: jocari radere: obeſſe protegere: rumpere opus corroborare, munire urbem demoliri: vendere caro emere pretio: ſuſtinere infringere: tribuere intercipere: Semper oppoſita prioribus: mollia indurata: malum utile: concordia averſatio: invigilare torpere; nigrum ex rubro: unum aliquod, nihil generatim: In libertate ſervitus: ex taciturnitate narratio: ex dono invidia: raptus trophæum: ſtridor jucundus cantus: obſiſtere favere: ſilere effari; tacere narrare; admittere perdere: extrema rerum capita: Simile ex nullo: grande imminutum: Ex nihilo omnia: Ineptum teſtimonio aptum: laus vituperium: Mus elephas: aper ſimia, ibis luſcinia: obeſus ſubtilis: exilis amplus: unus nemo: infinitum terminus: nequaquam omnino. Contra ſolem ire res artis: notitia inſcitia: exarmare armare: maxima minima: arguta lingua futilitas: ros oleum, pes ultimus tempora ſuprema. Singula inverſa: blæſus eloquens, lætitia planctus. Sagaciſſima verſutia mundi. Vrit fumus, ſudat unda, ſuffumigat nardus: expers diligentia: ſimplicitas ingenii lumen planetarum: miſeria exoptata tranquillitas. Tanti eſt ſurgere in nubes, axe ferri, niti incomprehenſibilibus, orbem linquere, extra orbem currere. Tanti eſt ſervire vento: bullis indicere bellum: univerſa nihil. *Omnia rata prava:* Alta ima. Totum nihil. Aberrante ratione generantur agmina rerum futilium. *Somniat virtus, tacet juſtitia, fidei funus, veritatis ſepulcrum.* Minimum valet lex, luget & plorat, os pallet. Magnæ virtutis diſtinguere novum a novo: integrum, congruum, ſtatum a faſcino. Dubiæ admodum ſortes. Ex rerum ambitu legere verum, prudentis operæ pars. *In populo leges anguſti pumiliones.* Exiſtentibus tenebris nihil videtur. Exorto matutino vento lumen ex orbe coërcetur. Nos intuemur exilia, relinquimus omnia gravia. Aliquid reperire fortuitum. Eſt tempeſtivum, non attendere operis boni eventum. Recti odor minime arridet laboranti catharro. Evadunt tenebræ nata aurora. Lumen invitis tenebris valet radiis. Vrant tonitrua imbribus teſtibus, ſalva eſt veritas. A primis mundi originibus parum meminimus. Vetuſtate torante, orbis detexit regimen errorum, cognita ambiguitate ſeculorum. Aliquid noſſe ingenuum, cuncta ſcire abſolute falſum. In luce videmus pulveres, obſervamus papavera. Aurea eſt ratio, veritas aurum. Excitat ratio oris gratiam, lingua uſum format. Inerte ratione veritas abortit. Scientia comprehendit experientiam. Scit indago rerum conſilia antiquitatis, laudat veterum mentem, inſpicit ſimulacra. Temporis elementa ſpectat: in univerſis tramitem annorum tribuit ſoli. Superſunt innumera non obſervata, reſtat *humilitatis thronus.* Tenemus & ſcire videmur, boni indiciis detectis. Ex ſuperioribus mundi voluminibus redit onus laboris, opus detegendi ignota, notandi incognita. Incomparabile lumen odit *dolus:* invidet mentis juri: ſqualet ſtudium

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/50 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

dium integritatis, valet quæſtus, exortis nebulis. *Jus humilitatis polliceri menti virtutis initium, recti triumphum.* Ima mens in ſummum ſolium, ima divinitatis imago. Divinum numen ex luce præbet ſplendorem. Eſt dei juſtitiæ fides. Mens una in tot nationibus & gentibus. Tenerrimus & manſuetiſſimus unus genius: eadem rationis & deſiderii intentio. Ex recta virtute animus ſuperat eminentes deos omnes Primas integritas rationis tenet. Singulis variis artibus ratio fœcundanda Ingenium judiciumque tribunal efficiunt rebus præſentibus, ſuperioribus, inſecuturis. Libertas ingenua bonum admirabile, magnum, inæſtimabile, tutamen ſenſuum æquiſſimum, numinis indicio. Maximi uſus incolumitas conſcientiæ, animi decus numinis exemplo. Magna mala vitii. Nullum urentius onus injuſtitia, triſtis injuria, temulentæ ſordes. Ruit & perit vana ſuperbia. Aſtus malum infeliciſſimum, ſuſpectum, ſemen infandi damni. Invidia, doli nutrix, eſt lepori pernici ſimilis. Oſtentatio jactabunda, gloriæ inhians, lapis ex rure, agri culmen: in foveam injicitur, nec gaudet agri merito. Avaritia delira, imago glaciei, liqueſcit ut flumen. Ambitio, enervata repens vaga anguilla. Os, jocorum theatrum, ex repentinis propudiis effigies rhombi, obſcure grunnientis; lepor, uſus faſtidioſi. Exploratio, runcatio oleris, dulce nihil ex labore præter ſaporem. Eſt nigræ indolis delatio, viſcus, tactu infidum. Nugæ, groſſi acini, mandibulis tragici. Nequitia, excrementum raſtri. Adulatio, rutilans ellychnium, perit uſu ſervili. Diſſidium excetra. Seditio turbo. Negligentia eſt ronchus, Audacia vanus quadruplator. Exprobratio aper. Nefaria optio nundinatio. Subſannatio equuleus. Conſpiratio rubus. Afflictio æquor. Vlcus querimonia. Stabulum os mucidum. Omentum deliciæ. Errores voluptatis quincunces. Morbus uſura. Rana ardelio, exprobratio dens. Maledicentia veſpa: rumor oeſtrum: exacerbatio draco. Surdæ aures monitis. Infidum ſolatium ſocordiæ: Imbecillis balbuties recordationi, eſt pigritia unus ſomnus. Animi levitas pluma, mentis exceſſus tempeſtas Ardens luxus lupus, epulatio cancer: amphoræ ſalutem neceſſariam impendunt: opulentia injuſta ſordida vorago: fœnus operto rivo pus: incuria rapidi venti auriga: animi tumor, navis ambiguis ventis quaſſata. Omnia ſuo ordine, uſu, tempore, ſucceſſu, ambitu, fortuna Eventus nunciat juſta media arcendi trucia contagia inevitabilium damnorum. Minus videt ratio obnupta lucro. Vitiis communibus indoles fœneratorum, inſtinctus rapinæ, cupido auri ſacri. Optio, rerum proventus. Eſt titulus verſura, tributum. In votis res ex ſervitio; *ancilla malitia:* ephippium rapacitas: totum ſervitium cupiditas emolumenti. *Nihil inſoluti.* Ex nihilo in miniſterio officium nullum. Spes in tentamine; alimentum, tractandi ratio: epulum bonum imperii lex. Eſt trutinæ, appenſa tentare. Juſta retributio. Benignitas eſt lancium, expenſarum cura. Comparantur acta, agenda, inſtituenda, tractanda. Negotia ex venuſto quæſtu: emolumenta repetenda frequentia. Minuſculum valet repetitione. Aurum conſtat juſta libella. Bene valet pondus metalli. Vſus rei ex re. Tenacitas eſt menſura utilitatis, Intereſſe beneficium. Rectum utile. Eſt vitium quantacunque neſcire virtutis commoda. Totum eſt bonum in libra. Animus veritatem quærit: anguſtias tolerat, ancipitia tentat, cavet avia, intuetur notas integritatis. Evolutis dubiis invenit fidem. Abſona ſegregat, odioſa reprobat, tuta ſervat, notabilia obſervari monet: Munit apertis tecta. Non intermittit ſuſpendere effatum, temporis nutu, exule gratia. Ex navi in mare, in gurgitem, exoneratur ratio, ſilere juſſa. Deſcendere in ſirtes, inſtar ſaburræ, juvat. Ratio experitur remos & charybdes. Sordes in navi, onerant nautas. Veritas imbecillis excipit aſſerem naufragii. Agitur imbribus denſis. Evadit anxia veritas, res eſt novi incredibilis miraculi. Brevis vita ſupereſt. Obit jus rationis ex procellis, minaci imperio. Myſterium videt ratio, agi naturam verſura lunæ. Minuitur, vertitur, rotatur, oritur, interit, redit, volvitur, circumagitur, rumpitur & marceſcit. Miratur verum, res exigi nimbis & ventis. Mundus vertitur juſtis lineis, orbe ſueto. Menſis verſatur integro turno, res ad menſuram. Minorum virium jus veri. Obliqua integritas. Manet via recta oppleta nebulis, rupes videntur, tragica animadvertuntur ſaxa, barbaries ubique ſurrepit. Sua eſt barbaries recenti orbi. Semina & ruſticis, eſt terra eadem, volvitur ſimiliter. Omnia ſuum redeunt emenſi volumen. In novis vetera, res ex periodis. Subinde eſt dolus in fine. Integritatis libertas, ubi populus oblitus propudiorum. *Abeſt ratio ex vulgo.* Triumphat exilium. Adeſſe non vult ordinis imperium. Triſte initium terminus ſubtriſtis. Res eſt periculi. Vndique ſalum. Superbit veritas ambigua ratione fortunæ. Eſt devota in favore, non inſoleſcit, temperata & ſedata, eſt devota in furore: eſt devota violentæ autoritati, regnante fraude, nemine integro. Aliquando lætatur veritas, bonum eventum nacta, aliquando ſubticeſcit, nudo exiſtente dolore. Silere jus libertati, animo, ſaluti. Refert ex vero indagare naturam veri. Superſtitioſa adoratio, tympana indeſinentia requirit, optat teſtes validos applauſus. Antico canit, jubilat, lætatur; balbutit, ululat, poſtico. Mille viciſſitudines in nubium motu. Occidit ſol. Miſcetur verum nocti. Venit ſol uſu ſuperiori, nova etiam ſequitur nox ordine conſueto. Sidera inquiunt: Nos volumus

moveri, movemur omnes communiter. Affirmat luna, videor pallida, incipiam candere, exprimam diem: ſol interea benevole rotabit orbem: apparabit nox umbram. Sol abigit tenebras, inviſæ redeunt orbe tecto, valent autoritate. Suſpicatur inculta nox, ordinem immutari, greſſu inconſtanti lunæ: eſt recta, eſt ambigua, tacite accreſcit, concipit verum fucum. Tenerrima eſt ratio eximiæ Cinthiæ. Venuſtiſſima luna lucet expleta. Plena, invita redit e veſtigio, ſole volente. Jus diei amat radios. Concipit etiam nebulas. Tanta viciſſitudo in toto orbe. Tanta integritas, tanta aberratio. Nihil intra conſtantiam. Supereſt ambiguitas fuci. Tota natura eſt ſerva ſuæ eſſentiæ. Sibi ipſi non invidet hyberna, contenta alternis. Mutæ myriades uſitatarum rotarum. Agunt inconſtanter nubes, oneratæ mole effundendorum rivorum ex catarractis. Tanti eſt ſubjectiſſima veritas. Beneficia indicit, tenet rationis autoritatem. Mens vehitur rationis obliquis lineis. Veritas comitur immaculata facie: interim rugæ comparent, averſo ſole. Juvat verum quærere, ſolis intuitu. Ratio blanditur & nominat emolumenta: tamen tegit nonnunquam verum ratio experta. *Gratiam expectatam donat ſolertia.* Jus rationis exſpectare modeſte. Nox intempeſta ſolis exſpectat blanditiem. *Rationis orbita: Solis eſt radiare: eſt tenebrarum exſtinguere veritatem.*

Scr. in acad. Jul. d. 22. Martii 1740. *Smaragdus.*

Surgit virtus rectis, juſtis mediis: inſiſtit ſemitæ animo conſtanti.

## Fluminibus fera cruſta deeſt, ſunt fontibus undæ. Gen. 2,10. Apoc. 22, 2.

*Serva veritas cum jubetur tacere, ſerva virtus raſtris ſociata, utrobique rus:* neutrum in orbe ſolis, in die. Admonet ratio, ambitio prohibet: ſuadet cognitio, excuſat timor. Animus eloqui ſollicite cavet. *Eſt ſervile reſpondere ex præſcripto.* Securius comprimere eloquium. Eſt animo conſultum, inhibere rimas oris. *Turbatur eloquii honos ronchis.* Temperare enunciata, & attendere inhiantes hoſpites, par. Amat ratio gratiam orationis, explodi grave. *Aliquid mittendum in ſinum ſocietatis incultæ:* Tenendus niſus efferendi. *Veritati repugnat gratia, neceſſarius odii comes.* Turbat enunciatio, alit minas, inculpationes, rixas. *Ruſtici eſt hara,* congerit lolium, vehit paleas: auget multa jura ſtraminis, ſarmenta inquirit: *neſcit negotia elegantia,* lunam obvertit ſoli. Scire illi inviſum, ruditer opinari tutum. *Stramen in horreis, ſervitus in doctrina.* Nihil amœni in groſſulis, immaturis ficubus. Fors eſt, nihil intelligere. Segetem in horreis transfundit in medimnos, modios venditum. Retinere areis timet, emptorum opus pretio. *Minima veri ratio, oris major, juvat ſorbere.* Sibimet indignatur tranquillitas. Servi, vernæ, tenentur exhaurire veteres ſordes, unum *beneficium ignorare negotia meliora.* Obvia nota juvant, alia ignota malunt ignorari. *Nihil opinione tranquillius.* Eſt modeſtiæ, minime veterum recordari, oblivio tuta: eſt humanitatis, retinere expedita, aſperum vetera quærere. Munimenta *antiquitatis* inſuperabilia monumenta ambitioſi theatri. Orationes pictæ, ornate ſculptæ elegantibus mythis. *Manſuetiſſimorum autorum literæ veteres ſymbolicæ.* Numinis imago nationis effigies. *Poëtarum theatra nunciant venuſtiſſimis iconibus civitatum auguſtarum fata.* Solerter effigiant thronos auguſtiſſimos regum, heroum, Principum, urbium excelſarum. Templa & ſacella, judicum res graves. In theatris ideæ tempeſtatum variarum, multarum ancipitium expeditionum. *Autoritas regum eſt polus, munificentiſſimæ auræ.* Lumina vetuſtatis, *ſymbola* notata iconibus: Numerus excultarum parabolarum. *Tropi* nuncii vetuſtatis, *imagines* clariſſimarum actionum, facinorum ingentium incredibilis virtutis. Veri lumina, fulmina, oracula, umbracula dominii in virtute quacunque. *Statuæ* enunciant negotia ardua dominantium regum oraculis ineffabilibus. *Simulacra* extollunt triumphos, augent regentium honores, proclamant virtutis elogia. Antiquitas eſt armamentarium rutilantium effigierum priſtinorum numinum intra nubes orbis. Nomina regum arma ſiderum. Imagines regum græciæ in theatris. *Mythi veterum rutilantium orbium in thronis planetarum ideæ græciæ eminentis autoritatis.* Monſtra *Veneris*, reginæ *Oropi*; *Saturni*, *Coronii*: imagines honorificentiſſimæ ſedium. Effata Delphica eloquia ſacratiſſima: imagines bullatæ ubique. Marmora in aulis regum, ſimulacra triumphorum. In muſeis Romanorum, oratorum hoſpitia, comitia inclytorum hiſtoricorum. Cuncta ſymbolis, imaginibus texta. *Pompoſæ ideæ græcorum, ægyptiorum, Syrorum, vehunt lumina inclytarum nationum:* nitidiſſima ornamenta heroum, civitatum, inſtitutorum generoſorum. *Exercitus deorum icones terrarum: jura numinum oracula legum.* Veneranda benevolentia antiquiſſimorum ſimulacrorum, teſtandi & eloquendi decoram indolem temperiei in regibus arbitris, heroibus, civitatibus, amplis ſocietatibus: in nubilis imperiis ſucceſſus ambiguus, ordinibus rotatis, rebus omnibus ſubverſis, in rudi horridoque confluxu ſceleratorum: Violentia excedens ſenſus, ratione exſecrante honeſtatis contemptum, naturæ odio hiſpido, contagioſa ſævitia in cunctos. Effigies defunctorum, infelicitatis humanæ colores, lapſu ominoſo civitatum, nationum. In *ſiderum iconibus* ſuprema autoritas, humi pulvis, nihili. Omnia hoſpitia conſiliorum, ſucceſſuum, initiorum, progreſſuum. *Anti-*



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/52 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

*quitatis effigies numinum agmina*, teſtimonia incomprehenſibilis majeſtatis, juſtitiæ, longanimitatis. *Athenarum numen*, imperterrita *Minerva*, urbis lumen fulgidiſſimum ex virtute, elegantibus artibus, negotioſis inſtitutis triumphantibus ſtudiis, ex autoritate legum, Areapagi prudentia, juſtitia, ſolertia, inimitabili dicendi aptitudine, *rhetoricæ artis palladio.*

## *In decimum ſextum typographiæ ſeculum, quo ab a. 2940. ad 3040. beatiſſimarum literarum arva ardentius colenda.*

### Judicium: ἐγκέφαλος, cacumen palmæ, cerebrum.

### Δύστρος συνδυαστικὸς אדר שני, ואדר Februarius ſecundus, Intercalaris menſis.

*Judicium naturæ optimum bonum: Jus rationis judicare.* Veritas tenet notitiam virtutis conſtantis. Sociata optima, naturæ gratia. Ordinis communis concinnitas. Ex ambobus honos. Eſt juſtitia digna omni honore. Antiquitas in tritis inſtitutis tenuit legem virtutis, teſte ſano ſenſu. Vetuſtatis temperies, legitimus virtutis cultus. Exegit antiquitas virtutem, rationis apparatu largo. Ordo in toto opere *virtutis* eſt *decus*. Munus virtutis tueri naturæ exercitium. *Indoles prima agere ſerio.* Tenacitas eſt minimus virtutis gradus. Exordium rei tenet exercitium. Deſidia exercitationis ſepulcrum. Minus vult lentitudo, obiter ſolum. Inſtitutum leve, velle primum, odiſſe poſtea. Natura odit neglectum. Otium inviſum toti orbi: vult experientiam, deſiderat actionem. Maxima munera virtutis ſedulæ. Suſcipere initio, rei brevi valedicere, luce eſt deſtitui. Nudum initium actionis remora. Tarditas coërcet experientiam, perdit ſpem. Continua expeditio affert habitum. Exſpectando res abeſt. Rogat ordo deſiderium agendi. Initium neſcit regulam exitus. Fortuna novit initii terminum. Eſt inchoandum lubenter, eodem ordine conſequitur inſtituti ſucceſſus. Eſt auſpicium lætum noctis exitus. Mane inchoatur res commode. Erigunt radii & ducunt verſus lucem. Eſt diei mulcere viſum, lumine, ordiendo diligenter. In orbe lumen venerabile conducit in rebus expediendis præſidio. Evertit actionem tarditas, juvat voluntas bona. Volunt ſenſus ſequi voluntatis ſententiam. Voluntas anima. *Tardum, invitum, urit frigus.* Sedulitas urget, mature incipere, ſedulo ſectari initum tramitem, non expectare, invidere pedibus, abſolvere ſemitam. Corruit exercitium negligens. Egregie rem efficit, lubenter legitimeque expediens. Velle, nulli otio convenit. Actio tempeſtiva negotii eſt munimentum. In navitate uſus menſura. Magna vertit dilatio. Vagum auſpicium ruſticus finis. Munda virtus rationis agit conſilio, juxta leges, bene, venuſte, propere, conſtanrer, expedite, alacriter, honeſte. Mora una noxa. Invitus caret ſtudio, agit fucate. *Sponte, jus boni.* Rectum opus exuit negligentiam. Vnum munimentum, *malle*. Opus conficitur tenaci expeditione, maturrime, absque dilatione, nullo otio. Valet querela. Conſpirat opus honori, maturat, urget negotium utile. Operi inſiſtere teſtatur agilitatem genii, expediendi lubentiam. Eſt recti, ſpontaneum, injuſſum, nullum odium juſti, tenax amor recti. Sponte, venuſte, bene, incomparabiles tituli negotii egregii. Gratia nativa in ordinis initio, gloria inſignis, libertas efficiendi recte. *Sponte, vita boni.* Aſperum eſt, debere: tragicum eſt ſuſpendere juſſum, injunctum, debitum. Sponte, in magnis inſtitutis, ſerenis, ſcitis, juvat ſolidum opus. Invita gratia in laqueis. Ex retibus nihil integri. In tendiculis canere eſt recantare. Tarde efficit invitus, nihil operis boni. Amara refert brabæa miles, valde coactus; eſt nauci: invitus reveretur excors vulnera, abeſt cor, in manibus cautio ex nece. Mens vult, lubet, agit, meretur. *Sponte, imperium boni.* Recto orbis tenetur & excolitur. *Agere candide, jus libertatis*; bene, uſus publici; integre, emolumenti robuſti. Ex lubentia animus ſerenus, ratio erecta, vigor judicii, numinis vice. Malum vere, niſi opus bonum. Minus utile, malum. In toto pretium optimi. Subinde jubet ratio tentare, cum eſt periculum, ſuſpendere tutius, exſpectare ſalubrius. Inter uros, roſtratos apros, lupos, ſervari vult beſtia imbellis. Latet inter bruta, inhibet ratio recti exercitium, terrent. Militat venator cum ſuibus, urſis, cervis. Rectum occidere. Servat jus roboris trucidando, ſauciando. Nec opus mente. Monſtra valent robore, officium eorum dentes. Securis in triſtia jumenta, nex in feras. Non in mente violentia, conflictus manuum. Voluntas lubens eſt optimum conſilium operis inſignis. Gratioſum jus libertatis expeditione recti. Ornatus incredibilis, genius infucatus, liber. excultæ rationis. Superat vires tributa operi promptitudo. Surgit virtus tranquillo animo. Timor cogit, animus jactatur. Servus vult dedolari, in piſtrinum, manus in laqueos. Sapientis, velle bonum juxta tribunal juſtitiæ, gratiæ, reverentiæ. Vult genius temperatus expedire ſua juſte, nativa venuſtate, congrue, apte, libenter. Mens vehit decentiam, vitat aſperitatem, ruſticitatem, fraudem. Terror eſt mentis vulnus, rationis obſtaculum. Revereri, res erroris. Suſpicit invitus terrorem, impotens ratione & pectore, murmurat interius, minatur: Vulnera, damna numerat. Execratur compedes: vult deſperare. Mille ulcera cordis, ratio in compedibus. Dolet animus. Eſt actio invita dolor.

In ſimultate nihil integri. Turget expeditio ſimulata, enervatur, torpet, remittit, abſtinet. Extorris animus grunnit, vagatur nocte. Eſt aſper labor, vox balba, actio fucus. Ex virtute queſtus, indigna dictu nomina. Vbi eſt animus, ratio & mens? Evaſit, abiit. Coactio negat voluntatem lubentem; excidit prorſus ſpes. Muniunt venti, nubes, omnem rationis trutinam, abſunt lances. Terror eſt ex abyſſo numen horrendum, crux, & technæ inferorum. Sinui impatientia: non niſi oſtium necis. Officium indignationis, gradus in triſtem ſtygem, abyſſi fauces. Mens urit, ratio ardet, incompoſita negotia omnia. Mel eſt ratio, exhaurit Cerberus. Trux eſt miniſterium veri. Robur omne luctus. Pectus mola & turbo. In lingua inexhauſta bilis: auſtera frons, facies emaciata. Niſi in necem intentio. Malum, ubi lubentia exulat, orcus cœlum: morbus valetudo, rhombus ordo, ludibrium optio, dolus integritas. Ex dubio infeſtus furor. Amentia mens, munus unum ſuſpiria. Expectatio delaſſatur: vulneribus animi ratio frangitur. Nihil in ſpe, ubi dolor nuncius univerſi mali. Supereſt unus tremor operis tormentum. Sudes in libertate, immatura bilis in ſenſibus. Nex ex horrore, ex rugis planctus. Eructat ratio rugitum inquietum. Suſpirat vigor mentis in tormentis, infans gemit & luget: Servus in libertate, adverſantibus ſenſibus. Rationis effata vepres; judicii nuncius, vulnus. Sopor ubi lumen offerebat diem. Ante necem infuſum virus, jus dirum. Satis animum torqueri in rota, obitu truculento, vulneribus auctis. Malum unum rerum omnium luctuoſiſſimum, umbræ charontis, in fluvio inferni rigidi, circa animam ſauciatam. Tremor & metus, ubi recti operis labori vice conſolationis audiuntur rudia oracula. *Solatium ex digna integritatis fiducia.* Salus vitæ, aliena rugis frons. *Jus egregii, decoris inſignis fiducia.* Salva integritatis libertas, immemor bilis, in labore lubentia, animi facilitas, negotii ingenuitas, triſtitiæ exilium. Eſt animus compoſitus in lætitiam. Bene ubique pectori. *Salus in libertate animi, ſalva ratio. Ex virtute invictum numen veritas.* Animi robur virtutis temperies, ſtrenuum opus probum, munitum juſtitia. Impigra ratio effatis viri. *Agit candor invincibili modeſtia. Candor elegantior nive.* Vultus totus luce veris clarior. Memoratur verum rotundo ore, libere, obſervanter, digne, ingenue, os totum oppletum triumphi nomine immortali. Mens viget, totus animus niveus in conſenſu ſenſuum amice faventium. Eſt ſobria ſerena indoles, vero faventiſſima. Solis intueri radios, tempeſtate ſemota, numinis opus magnificum. *Superbit juſte tranquillitas*, nubium ambagibus temtis. Mens eſt bona, recta, ornata, munda, veridica, temperata, opus totum tranquillitate excellit, genius elegantia nitet, ſpiritus jure virtutis quieſcit. Tanti *jus veri bonique.* Ampliſſimi honoris meritum. Eminens decus incorruptæ fidei. Superat univerſa beneficia intemerata dexteritas, vehit augmenta robuſtæ fortunæ. *Mens vivum numen, incomprehenſibilis magnitudinis, ultra nubes. Saturnus* valeat, *bellona*, immanibus necibus armata, *mars* morte immanior, *Mercurius* alatus, *Typho* turbulentus, & ſanctula *Juno.* Tot noctis anxia terriculamenta. *Sancivit natura experientiſſima judicii robur*, orbe ſupremo validius, toto orbe temperatius. Agit juſto conſilio, ex amore reverendiſſimæ gratiæ: arbiter tranquillitatis, orator tolerantiæ. Succenturiatur voluntatis nativo juri, monumentis optimarum legum, juri humanitatis, impenſæ navitati. Turbas everrit, molimina vitiorum comminuit: urit fucum: expungit ſtrophas, ſternit injurias, vellit fraudes. Munus veri, rigide expendendi, metitur mundum. Ambitum interminatum rotat tabulis ampliſſimarum lancium. Oppletæ lances oraculis. Dimetitur judicium molem univerſorum. Intuetur totas nationes & gentes. *Menſura animorum* ſagax, reverenda, exculta, vera, incorrupta, notabilis, valida. *Temporum* antiquiſſimorum generatio exhibet negotium ſano judicio, veſtigiis quærendis. *Motus univerſorum notitia* objectum judicii: theatro *arithmetico* relictum, exactis longiſſimis limitibus, innumeris myriadibus. Origo computi ortus longævi. *Siderum* immenſurabilis trames, nunquam exhauriendis cauſis. Immenſus diſcus *ſolis. Aſtrorum* turma innumerabilis. *Radiorum* officia tegunt velo animum. Obſervat ingenium *tempeſtates anni:* benevolas orbitas *revolutionum* proſpicit. Subita intervalla *turbinum*, aëre tempeſtuoſo intime rimatur: *eclipſes* veſtigat. Almam matrem *in ſolo* ſalutat. Indagat *terræ elementa*, locorum planitiem, *vallos, colles*, obſcuros *lucos. Scaturigines* viſit, ſtagna notat, eluviones ſentit, nubium onera conſiderat. Exigit verſuram ſoli, uſum Cereris inclytique Liberi, blanditur vini pulmento. Serit in novos varices, metit, molit, offas comedit. Venatur *thynnos.* In nivibus notat indicia *tigridum*, retia exponit *perdicibus. Mellis* experitur ſuavitatem, *mulſi* explorat dulcedinem. *Oves* excordes tondet: numina *viridariorum* reveretur: ex furnis expromit recentem menſæ voluptatem. Liberos vovet deo: obit munia: ſervit, imperat, regit, obtemperat, mandat, extorquet, dat, nectit, vendit, emit, inhæret uſuræ, quæſtui: torquet numellis, urget ſupplicia: Salvam vult totam nationem, arcet conſpirationes. Amat tranquillitatem civium, negotia utilia conciliat: eximit nodis obtortos, impellit tardos, affligit refractarios. Exſtinguit vulgi querelas: ſanguinem belluarum abſtergit. Elevat rempublicam ex cœno, ſervat in difficultatibus. Turbarum ſemina everrit, expellit rapinas, elidit dentes,

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/54 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

tes, efferos repugnantes conciliat. Eſt rationis, inquirere cauſas ſeditionum, turbarum & emotionum. Res eſt prudentiæ, aliter ſentire. Sentimus & tradimus nonnulla ex credulitate, opinione, devotione. *Ex lege judicare, magni judicii.* Servit opulentiæ ratio, exemplo vernæ. Sapienter judicare negotium omnium ingenioſiſſimum. Theoretica infunduntur doctrina, veritas res eruditionis. Ex arguta theoria accipit genius lucem vero vicinam. Tutum ſupereſt examen ſententiarum & dubiorum. Incredula fides. Multa videntur, tentata concidunt: omnia dubia. Tradita expendere mentis uſus. Tentat credulitatem: implicata dubia, in tricas vepresque. Ruminat vetera, tradita examinat, corrigit obliqua, detegit tecta, exigit recta; utitur tutis, inhæret conſtantibus; judicat diſtincte. Recta videntur tradita nuper. Vana dicuntur, docentur & repetuntur. Extorquet dictator incredibilem fidem. Autoris nomen, oraſſe bene, compoſuiſſe apte, recenſuiſſe venuſte: trituraſſe nove, vulgaſſe impigre, propoſuiſe integre, concinnaſſe correcte, adhibuiſſe examen diligens, inſpexiſſe fallacias, adjeciſſe notas; omnia bene. *Sanctum jus nominis*, orationis, indictionis, notarum, indicum, præfationum, opinionum. Dedicaſſe eleganter, ſcripſiſſe ſollicite, inveniſſe nova, objeciſſe inſtanter, tractaſſe admodum rationabiliter: non odiſſe nupera, addidiſſe nova, infarſiſſe rectiora, temperaſſe communia, ordinaſſe decenter. Saxa in nullis, univerſa mollia, mitia, ordine congruentiſſimo. Editiones nitidiſſimæ, originalibus inſpectis: titulis indicta dicendorum, argumenta rotunde texta. Splendida charta, exemplaria delicata. Eximii ſcriptores, elegantius nomen, ornatiores innovati typi, amores rationales. Sanctæ concordantiæ exemplarium, editionum variarum quarumcunque. Ineffabiles reliquiæ ex lucis penitiſſimis. Incomparabilis textura compoſitionis, ordinis, decoris. Nitidiora omnia nubibus. Sol refulget anterius poſteriusque. Simulacra in biblo & lucido pergameno. Trophæa numeroſa ultra ſpem, admirationis magnæ, in ſumma curioſitate, applauſu magnifico. Satis ex nebulis in diem, recti ordinis. Tanti eſt ſuperare vulgus: Digne aſcendere rectis gradibus: ex antiquitate nove introduxiſſe rectiora, tolerabiliora, concinniora, ordinatiora, decentiora, ſine expreſſis nævis, mendis, obeliſcis. Res expeditionis pulcherrimæ. Judicii tegmen, conjiciendi induſtria, diſtinguendi ordinis gratia, legendi voluminis voluptas: ingenii tela inexplicabilis; doctrinæ vires regiis emolumentis. Miratur veritas regium ornatum, regia incrementa virtutis. Munera veri, robur orationis, tenor judicii digni: venuſtas rerum & tractationis, ex lege & verbo. Magnum, voluiſſe recte orare, tractare attente, tradere curate, explicare perſpicue. Sacrum munimentum virtutis, recti ordinis ſcopus, præſentis inſtituti intentio religioſa. Ad legem univerſum propoſitum, omne poſtulatum. Omne jus tractationis ex reverendo pretio: *ſingula cum emolumento.* *Adverſa tranquillo judicio*, voluntas nauſeans integritatem, amans ſordes, revocans exterminata, verſans inviſa, negotiis vetitis. Ex ratione avocare nuncios in legitimis conjecturis, examen declinando: ſuſpendere argumenta, in rebus veſtigandis intermittere, nec inſpicere: temnere veri autoritatem: Suſpecta averſari ignota, dicere inaudita, ſcientia notitiave indigna. Temnere eſt literas emendatas vellere, judicio tribunal negare, exuere mentis uſum, gravare rationem abſurdis. In minimis judicio tribuendæ primæ. Omne malum veri temti præſumptio. Miratur exiſtimatio traditionis, novas obtendi cauſas, leges, experientiam, uſum. Eſt *vulgi*, quicquid emergit de novo invidere. *Mulierum* eſt tenerum noſſe os, reſpicere frontem; ſolem inſpicere, neſcire ortum; inſimulare ſocordiæ, negare expeditionem, falli fallereque, offendi minori æſtimio; muſſitare, indignari, repetere promiſſa, exprobrare relicta, allatrare languorem. Vera muliérculæ injuria, ſignatam ſtultitiam iſtius diſſimulare. Scire eſt rerum ſcaturigines inſpexiſſe, rudis alioqui traditio, vaccinia leguntur. *Auguſta ſcientia tenore experientiæ.* Eſt antiqua tenere ſine veri indagine, ex area in trituram nolle. Eſt dementiæ, veri rationes prodere. Aliqua imbecillia ſcire, cauſarum oblivione, numerum bullarum obſervare. Expers rationis expers ponderis operæ. Taurus novit arare, taurus occare, indigus doctrinæ. Olitor terram excolit, eſt auræ inſcius: Dolabra incidit, vim neſcit incidendi. Caro egregie nutrit, rationem officii ignorat. Tubera ubera terræ, ſcientia ejus deficit. Infida fiducia animi, neſcia integritatis. Rationis gratia exigua, rationibus ejus præreptis. Omnia didiciſſe, nihil; aliquid tentaſſe, integrum: univerſa exhauſiſſe, otii. Juſtum rerum pretium, officia recta penetrare. Omnia noſſe, memoriæ arguit damnum. Temulenta experientia, aliquid damni non animadvertiſſe. Vix res eſt ſatis expedita. Tantillum ex initio, ulterius quærere opus rationis probæ. Ex repertis exiguum ſufficit. Carere eſt tenere. Ex apparatis reſtat primum. Miſerandum veri, toto opere noti, genere ignoto. Lumen ex veſpertilionum metiri viſu, terram obtutu noctuæ. Minimum videmus nube exiſtente in luce, aër orbus, tempeſtate auferente lucem. Vivit miles, interea fervit. Servus indefeſſus donec cadat. Occiput hebes, dolet & ſinciput. Nihil eſt meminiſſe optimi nominis, expertem rei eſſe. Gracile, ideas fingere, & apertis rebus privari, manu vertere imaginem, rei



pro-

propriæ oblivifci. Rude proprium, nullo officio noto. Optare tutum, petere integrum, relinquere concupita ſuetum. Mittere uſum, torpere, lucis uſu ſuperſedere, non obſignat conſuetudinem. Minime videt, ſi ignoret viſus. Eſt rationis, agnitis cauſis judicare debite. Nihil in brabæo, uſu ſublato. Scis initium, vis exitum, age, ſcito initii uſum, ſic termini uſus augebitur. In titulo autoritas, tituli imbecillitas. Res ex teſtimonio ſerii operis propoſiti. Agere vult gnarus inſtituti boni: mittit ambages lubricas: e veſtigio aggreditur ſerio rem, exitum verſus dirigit actionem. Libet & vult adminiſtrare recte, eſt præſens, ſoſpes, obſervans rectos progreſſus. Eſt cavenda in lite bilis, urit publice. Ambiguitas in tractando opere, gravat expeditionem, negat terminum. Abſente examine, deſinit actionis uſus. Subticere licet, ex uſu tacito. Aliquid eſt boni, ubi judicio libet. Eſt veri regula, odiſſe, minime amaſſe. Servit jus, temtis auſpiciis texti juris. Riget exercitium virtutis, ſi nullum ejus deſiderium. Rodit amor, rigido vultu. Terret jus, gnomone juris impedito, ſublato, deleto. Operæ, vitam quærere. Minus eſt neſcire, oppugnare indignum. Scire rationis eſt, veritati detrahere, audaciæ, milite impugnare, nequitiæ. Aliquid tolerandum negligentia excuſata, gravior repugnantia. Voluiſſe ſatis: adverſari turpe. Infelix rectum, graſſante enormi temulentia. Neſcire imbecillitatis, impugnare malitiæ. Ignorare, nonnihil, aſpere lædere, extremæ veſaniæ. Aliquid ſubticere ſalubre, veritati jugum imponere, iniquum. Culpa imperitia, futile flagitium officere Lupi eſt, vellere, ſerpentis urere nece. In malis odium lenius, inferri honeſto interitum, nigrum. Eſt rationis, expendere virtutis gradus recti articulos. Minor acinace, lancea ad prælium. Turgent nocituri; volant reprehenſiones, exitialiter urunt labra, ardet vox, naſus in æſtu. Vocalis querimonia, alta lamentatio, amara muſſitatio: technæ ex bile, ingens horror opprobriorum. Res pugnæ, ſi indulgeat liberalis animus. Ratio vetat timorem, attendit naviter. Laudat exercitium veri, ſat virium togatæ ſagatæque veritati. Jus legum eſt veritas. Obvertit galeam rigidumque enſem. Sat veritas tuta exercitio mentis. Si erumpant nidis oeſtri, rationes barbaræ, audiantur rauci crabrones, terrorem excutit tenax jus rationis, ridet ignorantiam, errorem, rus, exprobrat nomen oblivionis: monet reſpicere exitum triſtis infauſtique belli. Obliviſcitur latratus & ululatus. Sinceritas ingenua valedicit querelis. Tenet in ſubſidio veritatis arma. Terror nihili animo ſalvo. Virulentia contumeliarum ex reliquiis incendii. Glumæ igni: rugæ roſtri orisve cineres. Terrorem ex injuriis rapit aër: Tonitrua oracula noctis, auræ jure tranſeunt in ventos. Tranquillus nauta abeunte evanido vento. Quies eſt navi, undæ tumuerant ex metu, ſcopuli canduerant: ex nive redit aura taciturna, oblita nimborum. Redit urens tempeſtas, novit antiquas conditiones ſedandi, ortos nimbos generoſe admittendi, in ſuavi ſilentio. Vehementia bullarum in tempeſtate niſus extreme dementium virorum. Rumor procellarum acies tenebrarum. Niſus in ſtrobilo ſuſurrus oborti prælii. Nubes onus noctis. Ingruente coruſcante ſole onus noctis grave abit, evadit, bullæ evaneſcunt, lucis principatu. Agit triumphum veritas. Tenebræ nutant, vincit ratio. Eſt vero lumen, amat verum natura ingenua. Eſt veritati quatiendi munus, virium robore, ex luminis præſidio. Odit & deridet amentiam, amat lucis arma militaria. Jus nativum genii erecti, rigide tueri verum, amare *ſagax judicium* tuendi nobilem exiſtimationem generoſi animi. Corona in lite bellove uſus publicus, externus amplus virtutis quæſtus. Eſt nihil odioſius ignorantia. Turpiter peccat vulgus, rationis recto ordine contempto. Nævus vilium ruſtice odiſſe integritatem, litem inferre ſinceritati: nociva omnia conſilia. Temperies eſt manſueta virtutis regula, odium maleficiorum. Evenit tandem, nocti adverſantem ſolem ſplendere, adſpirante revolutione gratioſa. Sol caret exitio. Mens vivit integritatis nomine, virtus munimentum munitiſſimum, obverſum communi moli vitiorum. Recto obſequium, natura memore armati dominii. Oſtium integritatis ſana ratio. Ex uſu doctrinæ animus magnus, indoles nivea animi. Temperatiſſimus eſt ordo judicii, tenaciſſimo jure, nulla graſſante adverſitate. Valet reſtimonium admirabilis temperiei ſenſuum. Eſt autoritas candori, jus legi; bene uſui publico. Invincibilis erecta ratio: thronus virtutis æternus. Immortale numen genius erectæ rationis. Ordinis concinniſſimi judicii lumen. Bene valet publicum. Numen in decore & ſplendore. Sidera exultant, virtute inter cives. Rectum eſt thronus, numen in ſolio: in templo amor tranquillitatis, elogium juris civium, ornatus ſocietatis. Ex amore nexus amicitiæ. Integritas diligit juſtitiam: tolerantia obvertit verticem querelis. Emundatus animus diligit univerſam nationem. Trames ſecurus emendationis. Nulla obligatio nocti. Meridies videt thronum vividæ auræ. Mens videt rerum evidentiſſimam venuſtatem. Minus valet indomitum decoris odium: temperantia indicat rationis auguſtum præſidium. Sano animo, triumphat invicta ratio: eſt veridica, exacta, tranquilla, ſoſpes, erecta, temperata. Animus incorruptus tribunal negotiorum expediendorum, juſtitiæ regula, expeditionum præſidium, ſanorum conſiliorum

liorum executor. Orbis totus appellat thronum juſtitiæ, bonitatis, veritatis, decoris, numine judice. *Muſarum* eſt *regnum* ordo toni, vocis autoritas: In dicendo numinis exemplum ſermo candidus, elocutio temperata, æquitatis regula, proferendi modeſtia, veri nominandi indicandique recti gratia excellens, revocandi ex pernicie omnes irretitos decentiſſimum, venuſtiſſimum, temperatiſſimumque ſtudium: omnia tragica verſa: Genii recti apertique reſonant & plaudunt. Terror exulat numinis effigie. *Muſæ* oracula nunciant: indicant decus narrandi eximiam gratiam expeditionum: tramitem concordiam apparandi: in divinæ naturæ oraculis lucem videndi: momenta intima ſymbolorum ſimulacrorumque intelligendi, diſſimulata memoria vetuſtiſſimarum umbrarum ſcopum ſervandi: robur elegantiorum literarum ordine ſuſcitandi. *Tempus*, expergiſcendi, ſomniis noctis expunctis, diei uſus rationi præſens: Solis videndi in nubibus eminentibus greſſus: mundi veteris rectorum oracula tenendi: priſca inſtituta recte conſiderandi: ſacratiſſimorum ſcriptorum orationes noſcendi: orbitam humanitatis ſpectandi: In tota antiquitate telam integritatis veſtigandi: quæſitam inveniendi: totius naturæ amœnitatem expedite amplectendi. *Templum omnium muſarum effatis reverendum.*

Scr. in acad. Jul. d. 25. 26. 27. Mart. 1740. *Lætare.*

Exhortatur ratio auſpicari tempeſtive: Erectus animus lætatur. Lumen auroræ exhibet tramitem agendi recta expedite. Lubenter agere eſt temperantis animi, rationis experrectæ.

## Lætare dulcibus arvis. Gen. 26, 12.

*Sinceritas* in veritate: ratio agit ſincere, vult bene judicio. *Candor* luce venuſtior, dulcior, elegantior. *Rectus animus* templum excelſum auguſti luminis. Lætatur *animus erectus* tranquillitatis amore: reveretur eruditionis dulcedinem: veneratur libertatem concinni judicii. Brabæa vehit *ſcientia: antiquitatis reſpicit veſtigia*, immarceſcibili ſedulitate. Monumentorum emolumenta accumulata. Symbolis condiderunt hiſtorias avorum, *rhetorum innarrabilibus mythis.* Magnificæ imagines rerum admirandarum. *Hiſtoriæ comtiſſime ſcripta auguſtis effigiebus magnatum.*

## Dulcia arva vitæ, fidei, ſpei, profeſſionis, antiquitatis, fontium V. & N. T. paganiſmi, judaiſmi, & Chriſtianiſmi, in poëtis, prophetis & apoſtolis, pro fundo & fatis veritatis & virtutis, *pro jubilei deliciis ex dulciculis arvis.*

Ἐγέμισαν δώδεκα κοφίνους κλασμάτων ἐκ τῶν πέντε ἄρτων τῶν κριθίνων, ἃ ἐπερίσσευσε βεβρωκόσιν: *Impleverunt duodecim corbes*, duodecim menſium ſymbolo, Apoc. 22, 2. *fragmentorum*, mythorum, *ex quinque illis panibus hordeaceis*, ex dulcibus Quintilii Vari arvis, *quæ ſuperfuerant illis qui comederant.* Joh. 6, 13. Πέντε ἄρτοι κρίθινοι, QVINTILIVS VARVS.

## Judicate viri boni de dulcibus arvis.

In *antiquitatis* templo eſt *novi inſtrumenti regimen chriſtianum. Adami imperium* deſiit, ſanctiori orto. *Chriſti inſtitutum* totum admirabile, magnificum, venuſtiſſimum, excelſiſſimum. *Nihil prius integritate, temperie, ordine, humanitate.* In antiquioribus noviſſimisque orbibus nativi genii incolumitas adamata. *Tranquillitas animi* nubium ultimarum decus. Venerabile indicium auguſti chriſtianiſmi, *judicii temperantia, ſinceritas, eloquium.* Ornatus totus viget autoritate rationis. Amœniſſima gratia animi, ingenua reverentia optimi maximi *virtutis exercitio.* Honores temperati augent tempeſtivum ſtudium ordinis. Tribuit amicitia *manſuetudini* venuſta expedienda. Novit *prudentia* uſum temporis. Aliquando tacere jubet autoritas. Tueri etiam *humilitatis* condecentiam eſt dignitatis. Vehementer ſuadet oratio pro officio. Reddit honeſti tributum *niveus amor.* Subvenit *obſecratio*, convincit *indulgentia*, honorat *conciliatio*, vegetat ſincera *promiſſio.*

Scenæ conſervant *honorem antiquitatis*: bellulos *haurimus* temporum elapſorum *mythos.* Eſ. 12, 3.

## Dulcia rationis arva in mythis.

*Arva* tractare ſervile videatur, *raſtra* curare inficetum, *terram* runcare, extra pretium operæ. *Agri* tolerant cultum, non impediunt torvum *aratrum.* Læti obviam veniunt colono, exſpectant nodos jugi, temonis, clavorum. Exultant taciti intuitu temperatæ culturæ, auferendis tribulis, noxiis, infrugiferis, ſentibus exſtirpandis. *Tellus novalia optat fortunata.* Amantiſſima, tolerantiſſimaque, tritæ verſuræ gratioſæ. Advocat tempeſtivum aratorem, trahendis ſulcis, vertendis glebis. Admittit lubens lætaque vulnera noxas ſanantia, videt blitum imminui,



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/57 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

minui, dumeta velli, corripi enecantia papavera. Tumet ex ſemente inſperſa, ruricolæ tribuit ſpem ubertatis; agriculis laxuriantibus plaudentibusque, meſſis vires compromittit. Segetis uberrima bona indicit, dona expectatiſſima pollicetur. *Res valet tranquillitate.* Novo anno novæ areæ replendæ, trucibus menſoribus urgentibus. Ruris opulentia cumulata, ingentes tumidæ ſtrues. *Vagam relictam ſegetem verrunt boves, inhiantes trituræ.* Nova onerantur plauſtra, intra tecta congeruntur erecti tumuli metæque variegatæ. Rubet os inhiantis ruri agricolæ, triturando. Non excidit memoriæ menſura optata. Congerit ſementem incomprehenſibili emolumento. *Dulce intuetur pretium acti laboris. Sapit eſca. Triumphante nocte optimis frugibus.*

Tityre, tu, *celſæ* recubans ſub tegmine *cedri*,
*Sylveſtrem* tenui *muſam* meditaris avena.
Nos patriæ fines, & *dulcia* prendimus *arva*,
Nos patriam *colimus*. Tu, Tityre, lentus in umbra,
*Formoſas* reſonare doceto Amaryllida *ſylvas*.

Gen. 2, 9-14. Eſaiæ 5. Cant. Cant. 8, 14.

*Lumen orientis, judex orbis, doctrina, judicio, navitate, antiquitatis notitia.* Dan. 2, 10. 11. 17. Matth. 21, 27.

## Ad mythos os infantum & lactentium, Pſ. 8, 3.

Noſſe oportet temporis ſeri *antiqua monumenta*, *orbes præteriti* aperuerunt ſemitas ineundas. *Orbes noſtri* ex monumentis gratam eruditionem trahunt, eventuum memores. Superioribus *ordinem* tribuimus *cognitæ antiquitatis longæ*. Antiqua *geographia*, ordinem provinciarum; *Aſtronomia*, *ſolis* imprimis orbita, nota ex *menſium* gradibus, *anni* limites legesque efformavit. *Temporis* exculta *menſura* admirabile medium ſervandi vetera. *Computus annorum* incomparabilis emolumenti nebulas aufert *hiſtoriæ* profundæ, offert prima auſpicia ingentium negotiorum. *Imaginum theatra*, numinum imitatione, ſermocinantur. *Effigies* denunciant ineffabilia effata. In elegantiſſimis *ſimulacris* imperium rhetorum. *Icones* exhibent hiſtoriarum compendiis negotiorum exercitus. Juvat noſſe inenarrabiles *tropos*. Minimum intelliguntur *codices*, nuncupati olim imperiis veterum. Magnificæ *imagines*, lumina longævorum orbium, illuſtrant primævos Principes, imperatorum majeſtatem. *Mythi* inexplicabilis pulcritudinis pingunt incredibili ornatu luculentiſſimorum legislatorum inſtituta multijuga. *Virtutum inſignia, oraculis notata, commendata imaginibus magnificentiſſimis.*

Iniviſſe iter, ſemita ſervata, arduum: decenter terminum attigiſſe, officium ſolertiæ. Sagacitatis opus, agere tenaciter digna, attendere ſincere ſcopum, integrum, juſtum: Intelligit incomprehenſibilia, ſplendore ſolis allucente, diei tempeſtate amœna, obſervatio ſobria, ſollicita, ſana, ſerena.

עז יסרת *κατήρτισας ἄσμα*, apparaſti cantum. Matth. 21, 16.

עזי וזמרת יה יהוה ויהי לי לישועה *ἄσμα με καὶ μινύρισμα με αἰώνιος, ὑπάρχων, ὃς ἐγένετο μοι εἰς σωτήριον. Cantio mea & minuritio mea æternus, deus, qui mea eſt ſalus.* Pſ. 8, 3. Exod. 15, 2. Eſ. 12, 2.

## Pro *typographiæ jubilei tertii* celebritate.

In memoriam & honorem *Johannis Fuſt, Moguntini*, tertio abhinc ſeculo typographiæ conditoris, veneratur *academia Julia in bibliotheca ſua veteri* pretioſum *Johannis Fuſtii* primis typis editum *opus Ciceronis de officiis*, membranæ nitide impreſſum, minoris folii forma, cum abbreviaturis, ſine commatibus & colis, meris punctis, ad exemplum MSCtorum.

In fronte:

Marci Tulii Ciceronis Arpinatis conſuliſque romani ac oratorum maximi, ad M. Tulium Ciceronem filium ſuum, Officiorum liber.

In fine:

Præſens Marci Tulii clariſſimum opus *Johannes Fuſt Moguntinus civis*, non atramento, plumali canna neque ærea, ſed arte quadam perpulcra, manu *Petri de Gernshem*, pueri mei, feliciter effeci finitum anno M. CCCC. LXVI. quarta die menſis februarii.

Bibliothecæ academiæ Juliæ hunc librum dicat *Joannes Bremeccius*, Græc. lit. Prof. M. DC. XL.

Cui donaverat *Sebaſtianus Spilker Huxaria Corbejus*, 14. Cal. Aug. a. 1639.

*Johan-*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/58 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

*Johannes Fuſt*, novi literati orbis *nova ſcribendi arte* conditor, *humanitatis reſuſcitandæ autor*, ex bonis literis ſurgentibus novos fecit homines, per quos omnia nova orta & oritura.

Antiquitas rediit, ubi *typographia* indicavit rerum origines. *Tenebræ evanuerunt.* Antiqui triumphi recenti orbi aperuerunt viam. Orbes novi aſſurrexerunt inſtitutis novis, meliores orbes, ſcientiis, officiis, venuſtate qualibetcunque. *Reſurrexere elegantiſſimi poëtæ, ſcriptores eloquentiſſimi,* numinum inſtar, *magni oratores*, *hiſtorici.* Theatra ineffabilis concinnitatis efformata, fronte ſpectata orbis veteris. Ovavit natura ſuſcitandis virtutis brabæis, imaginibus temperatiſſimorum negotiorum. Emerſere genii, rationis uſu ſublimes. Scientiis ingenia recta exculta tenacius, integrius, liberalius. Suſpiravit, ingemuit, novo orbe, barbaries. Sepulti communes errores. Reverſus ordo *temporis* veteris, ad evolvendos autores dudum neglectos. Acceſſit *topographia, ignota, chronologiæ* ſociata. Vetuſtiſſimi *ſapientes* evigilarunt. Regna ſuis immenſis thronis apparuerunt. Trames inventus noſcendorum animorum. Mens viſa humana redire, originis tranquillæ imagine. Decorus novus orbis conditus ex tenebris. Res animi indolis divinæ, natæ ex bona inſtitutione. Ratio cœpit ſpectare argumenta veri, ordine neceſſario. Senſit *judicium* beneficia recti. Obtinuit *ingenium* tenerrimarum artium reditus edecumatos. Tributum immenſurabile lumen invictæ veritati. Orta nova tribunalia ſapientiæ, virtutis, fidei. Sinceritas effulſit. Numina nova, autoritate, honore, officiorum integritate. Incultum olim hoſpitium, affabilis nunc neceſſitudo ex ſincera familiaritate, vegetus ſenſus tranquillitatis. *Toga, ſagum, viſa futura ſuperis eminentiora. Niſa natura apparare homines optimos, immortales. In orbe honeſtas auſpicium numinis. Noſtrum eſt ſpiritu frui.* VERITAS SVSPICIT TYPOGRAPHIAM.

Ex oraculo Ciceronis, *græcarum & latinarum literarum vinculum* eſt ſolidæ eruditionis palladium. Quod *primum Officiorum Ciceronis faſtigium* ex aureo illo *primæ editionis* codice a. 1466. literariæ voluptatis gratia, pro amœna jubilei teſſera, repetere libet.

Sed & ex prima illa editione Fuſtii Moguntina, *coronam*, qua ex Apollonio *græcarum & latinarum ſodalitatem* in Cicerone commendavit, *jubilei gloria* augere par eſt.

Quanquam te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, idque *Athenis*, abundare oportet præceptis inſtitutisque philoſophiæ, propter ſummam & doctoris autoritatem & *urbis*; quarum alterum te ſcientia augere poteſt, altera exemplis: tamen, ut ipſe *ad meam utilitatem ſemper cum græcis latina conjunxi*; neque id in philoſophia ſolum, ſed etiam in dicendi exercitatione feci: *id tibi cenſeo faciendum, ut par ſis in utriusque orationis facultate.* Quam quidem ad rem, nos, ut videmur, *magnum adjumentum attulimus hominibus noſtris*, ut non modo *græcas literas* rudes, ſed etiam docti, aliquantum ſe arbitrentur adeptos, *& ad diſcendum & ad judicandum.*

Apollonius *rhetor græcus*, ſecundum Plutarchum.

*Te* nempe *Cicero* & laudo & admiror, ſed *græcorum* fortunæ me miſeret, cum videam, *eruditionem & eloquentiam, quæ ſola bonorum nobis* (græcis) *relicta erat*, per te Romam acceſſiſſe.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/59 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

*Officiis Ciceronis, ex prima editione 1466.* pro antiquiſſimi *judæorum intercalaris anni* ſerie, in orientis honorem, *in hoc typographiæ jubileo* junximus *officia chriſtiani*, viri boni & docti, qui, *græcis & latinis literis ſociatis, in veritatis & virtutis uſu* ſolis luce gaudeat.

Græcia prima viam monſtravit, *condidit orbes*
Ore manuque *novos*, ſcriptaque juſta dedit.
Sunt *literæ græcæ fons primus veræ ſciendi*,
Et cœlum & vitam *græcia nos docuit.*

יוֹבֵל *ἀπόλυσις.* שְׁנַת הַיֹּבֵל *ἔννος τῆς ἀπολύσεως annus liberationis.*
יוֹבֵל *σαλπιγκτής.* קֶרֶן הַיּוֹבֵל *κερατίνη τοῦ σαλπιγκτοῦ, buccina liticinis.*

*Buccina græca* ſonat, quæ DVLCIA nunciat ARVA:
Rhetoris eſt *mythos ſolvere:* fac, capias.

Apoc. 22, 1. 2.

דרור *ἐλευθερία, libertas.* Lev. 25, 10. Gal. 5, 1. 3.

Ex parte cognoſcimus, in ænigmate, 1. Cor. 13, 9. 10. 11.

*Ætas temperat cognitionem.* Ex perſpectis ſuperioribus res eſt propinquior ſenſibus. Vetera inveterata tenent initium novorum. *Ex præteritis agnoſcimus noſtra.* Antea inchoata teſtantur ſemitam in rebus hodie continuandis, efficiendis, redintegrandis. *Repetita vetera tuentur nova.* Aliqua valent quantivis. Obſervamus, libramus lancibus optima, certiſſima. Oculi lucem vident admodum parvam. *Tenebræ extra ortum tegunt ſuperficiem.* In robore horizontis cognoſcimus menſuram veteris caliginis. Manſueta aurora regit oculorum conſpectum. Mundum extitiſſe in caligine agnoſcimus forma diluculi. Advertimus ex igniculis, caliginem antea fraudaſſe aerem. *In umbra quies, tenebræ exilium cognitionis.* Emergente die, ſerenum os, redit intuitus, vultus tenet viſum. *Tacet nox, expergiſcente genio. Judicium lumine lucet.* Ex tenebris nihil intelligebatur. *Mutat aurora notitiam. Aſpicit judicium tenebrarum ſtuporem.* Indoles reſurgit humana: cognoſcimus mundi elementa: reveremur temporis exordia. Mens videt lucis uſum admirabili præſidio. Omnia decenter notantur, aliqua veniunt quærenda. Spectat os radios ex templo ſolis. Operum præſentium ſpectatur ordo. Rerum expeditio ſervat debita veſtigia propoſiti apti. Sollicite volvuntur prompta media expediendi tempeſtive. Temperat experientia ingentia negotia ex venuſtate. *Animus temperanter agit. Magna gratia integritatis. Nihil extra animi temperiem. Numinis vicem ſubit ſerenum judicium.* Bonus ordo novit mediorum aptam regulam. Brevis mora virtutis tenendæ. Expedita memoria egregii, recti, ornati, laudabilis. Obvii comites, diligentia, attentio, optata venuſtas quælibet. Succedunt votis negotia, inchoando, moliendo, efficiendo, obtinendo. *Lubentia* videt commoda expectata, præclara. *Severe nititur in temporis verſuram.* Languorem exuit veſte. Reveretur uſum munditiei, ex virtute tenaci. Nominat ingenuos ſuos. *Veritatem metitur arbitrio rationis.* Temeritatem exiſtimandi neſcit. Expendit pondera, negat obliqua, notat ſignanter optima. Librat oſtentandi tumorem. Suſtinet oppoſitorum proterviam. Argute dijudicat veri ponderis augurium. *Mittit vulgus, nixum auctoritate incondita.* Trutinat ſingula, juſto rationis habito conſilio. Metitur elementa rei ex certitudine inconcuſſa. Lances bene vertit pro ſtabili oſtento notando. *Statuit veri munimen, argumentis congruis, juſtis, dignis, venerandis, immotis.* Tacite excutit ſuppoſitas vero machinas, inſidias tectas. *Nugas everrit ſophiſtarum. Sophiſmata eliminat terminis.* Nequitioſas argutias fallaciarum nubiloſæ ignorantiæ tribuit. Vulgi oſtentationem generoſe linquit vagæ vanitati. *Rigide veritatem munit inclytæ vetuſtatis quæſitis oraculis, legibus, ſententiis, effatis, teſtimoniis.* Nihil ante fundum noviter inſpectum. Terrores vulgares imputat erroribus rationis. Ex-

plicat ambiguos nodos artis implicandi, tricas ſolvit. Infrunitas relationes horret, cavet exoletas avitas nundinationes. Invertit uſitatas nuncupationes eloquiorum generalium vulgatæ traditionis. Communem ex plebe ſenſum emollit reverenter. *Sentit imbecillitatem longævæ imaginationis, ſerviles conceptus ex tenaci exiſtimatione ſcientiæ.* Incompoſitas vulgares nugulas exſtinguit temperanter. Miſeretur ambiguitatis. *Vulgo querulo reſpondet, extricando plebem ex ſtrophis, ſophiſmatibus inconditis.* Vulgi fabulas reddit vulgi terroribus. Evertit cavernas ſubdolorum oſtentorum. Non gravatur opinionum communium oſtendere initia, tramitem in noſtras gentes, orbitam conſuetam inſcitiæ vulgaris. Exponit arma invictæ rationis, tenacis ſtudii, ordinis neceſſarii. Solvit implicata ligamenta infirmæ rationis ex voluntate proavorum. *Rurales veteres traditiones, imbelles bullas, aperte difflat.* Ex recentiorum imitatione nata eloquia vana relevat ex plebis muſſitantis uſu. Rerum omnium legitimas origines tradit ſermonis oraculo, proprio, apto, temperato & modeſto. *Veri regulam arbitratur tutiſſimam & honorificentiſſimam, præfert opinionibus relationibusque priſtinis, ſervilibus, excordibus, rudibus, debilibus, alienis.* Omnem decentem navitatem adhibet vero quærendo, ſciſcitando, inveſtigando: linquit vagos communes errores ſeculi. *Semitam juſtam vero ſternit.* Ex tramite aufert tumores elatos autoritatis, ambitionis, venerandæque ſuperſtitionis. Indicat invia compita judicii, debilis, vagi, imbecillis, inepti, languidi. *Vſum conciliat ſevero arbitrio maſculæ linguæ, in honorem integritatis.* Neſcit cunctationem. Vrget honorem decentis affirmationis. Suadet ori neceſſitatem dicendi. Veritatem prudenter aſſerendam exiſtimat. Affirmat integre, temperanter, neſcit affanias, fucos, nebulas, inconditos ſuſurros, errantium ronchos. Odit nimbos oneroſos, ſtrobilos moleſtos, vanos conflictus, obſervat veri ornatum reverenter, prudenter. Manſuetudinem amat narrandi, recenſendi, evolvendi: temperantiam ſervat conciliandi, emolliendi, mitigandi. Audit rationis experimenta, teſtatur *ingenium lucidum magnorum autorum, de veritate nitide referentium & teſtantium. Effigies admirabiles rhetorum peritorum in theatris* ſcit, intelligit, reveretur, honorat, collaudat. *Templa & ſacella,* impleta ſimulacris, oſtentis mirificis, ſymbolis venerandis, *benigna* exiſtimat *regum elogia,* decentes imagines terrarum, nationum, *encomia magnifica auguſtorum thronorum,* ſigna expeditionum terribilium, indicia virtutis oſtentabundæ, *nuncios triumphorum. Eruit ſcopum internum regiarum effigierum theatralium ex velamentis.* Myſteria veterum recondita, eruderat religioſe. *Telam interiorem velis obnuptam nativo lumine illuſtrat.* Numeroſas machinas vertit retro: ornatum theatri aliorſum trahit: *negotia expromit momentoſa, memorabilia, olympo collata, tropis evolutis. Mythos veterum* tentat & reperit, pandit rhombos & troporum nexus intimos, *ſpecula venerandorum geniorum, lumina venuſtiſſimarum urbium.* Concinniſſimum corpus rationis ex veritate virtuteque, compoſitum vinculis tenacibus ſinceritatis, temperantiæ, ſolertiæ, induſtriæ, navitatis, elegantis ſobrietatis, ſapientiæ, judicii, validæ vegetæque rectitudinis, emendati ſcopi negotiorum univerſorum.

*Salus* univerſa temperatur *integritate. Ratio* indicat planam ſemitam. Mens *verum* vult, obſervat naviter *ſinceritatem.* In negotiis regit *animus* conſtans ſtudium *virtutis,* temperat emotiones voluntatis. *Ingenium* manſuetum, *judicium* nervoſum. Animus molitur univerſa venuſte, ordine neceſſario; ſancit inſtituta recta, officia præſtat rectis. Orditur concinna, mediis venuſtis, termino nitido. Eſt *magni animi* tenere ſcopum egregium, tranquillum. Summæ *veritati trophæum* expeditiſſimæ *virtutis.*

*Salus* univerſa in totius orbis profeſſione. Eſt *virtus* immenſæ magnitudinis in negotiis *animi.* Servat *juſtitia* natos orbes. *Integritas* ſuſtinet ſtatum & fortunam. *Ordo* refert præſidium. *Temporis* eſt *jus* exequi debitum. *Initium* fert *media,* vehitque *terminum.* Negotioſa eſt *mens,* agit temperanter, ſedulo, expedite, tranquille.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/61 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

Eſt vulgaris ſervitus in rationis orbe. Populus refert opera corporis, minus valet ratione, ordinem neſcit. Optima boni media vulgus temnit. Non eſt mentis arbitrium. Totum ſtudium eſt telluris. Obit corpus, obſignantur labores, oritur vita ſerena. 1. Cor. 15, 23. 48. 49.

Eſt amœnum inſpicere *ſemitam expeditionum.* Lumen clarum contueri eundo, *ſerenum vultum* indicat. *Lubens animus*, extra ambiguitatem, regimen virtutis. *Tranquillitas pectoris* in rebus conficiendis ſplendorem ſolis exſuperat. Sol oritur, *mente ſincera*, vultu imperterrito, luce affulgente. *Animi libertas* in virtute, ſervile pectus aucupio vagi lucelli. Vitæ ſalus *ſerena conſcientia.* Regula *judicii*, pervidere tramitem veri, recti, apti, egregii. Abſente languore, juſto vigore, *ſponte expedire*, commoda confert locupletiſſima, emolumenta ſuppeditat immenſurabilia, *animo erecto.*

*Dulcia arva* in ſylva. Gen. 2, 9. *Oleum & vinum* in fontibus. Gen. 2, 10.



*Veritas* in vulneribus. Ex morte *vita.*

Fin in Acad. Jul. a. 1740. 28. Martii, die *Malchi*, cui *in horto* aurem vellicavit Petrus. Joh. 18, 10. Matth. 11, 15. *Amara Moſis arva*, in veteri lira & litera, in monte Sinai, *ad mortem.* Gen. 2, 17. Rom. 7, 6. *Dulcia chriſti arva*, in nova luce & ſpiritu, in monte Tabor, ad vitam, Joh. 1, 4. Rom. 7, 6.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id361897952/62 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

H. lit. 80 m

~~Biogr. erud. C. 20~~

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id361897952/63
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id361897952/64
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft